-70

4 e plates.

— See Bitting p. 131
who states Date in title
to be "illegible"



(Philippe Sylvestre Dufour)

NOVI TRACTATUS DE POTU CAPHE; DE CHINENSIUM THE; ET DE CHOCOLATA,

à D. M. Notis illuſtrati.

GENEVÆ,

Apud CRAMER & PERACHON.

DC. XCIX.

BIBLIOPOLA

Lectori Salutem.

TAnto applauſu excepta ſunt Opuſcula hæc de *Chocolata, Caphe*, & herbâ *Thé*, Gallico idiomate nuperrime emiſſa, ut iiſdem carere Rempublicam Medicam nefas eſſe crediderim: De his ante aliquot retrò annos, peregrinantium cura & ſtudio ad nos transvectis, multa circumferuntur, dubiæ fidei, ab iis quippe tradita qui ex traduce notitiam illorum conſequuti ſunt; Conſcribendi vero materiam ſuppeditavit Vir Clariſſimus, qui mores hominum multorum vidit & urbes, ac terras alio calentes ſole, natales videlicet exoticorum illorum ſimplicium, peragravit & perluſtravit; Idem quo ritu indigenæ colligunt, præparant, & in proprios uſus flectunt, oculatus teſtis tabellis conſignavit: Illorum mos cum in Europæos tranſmigraverit, adeo ut non minus apud hos quam illos exoticorum illorum uſus increbeſcat, ſaluber aut inſaluber prout dextrè aut ſiniſtrè uſurpantur; medicaminum quippe claſſi accen-

ſenda, ægris potius quàm ſanis conſentánea, eapropter manum Medicam requirebant documenta à Viro Clariſſimo ſuggeſta, qui nudam à ſe obſervato rum patrio in illorum ſolo hiſtoriam tradidit. Onus in ſe ſuſcepit, quanquam gravioribus intentus, Vir Excellentiſſimus, Illuſtribus accenſendus, D.D. *Iacobus Sponius*, Medicus Lugdunenſis, magni *Caroli*, Parentis, eruditionis & politioris literaturæ ex aſſe hæres: Ille civibus ſuis primo obſervata illa Gallica Lingua conſcripta dicavit, tribus Tractatibus (unicuique ſimplici ſuum aſſignans) diſtincta; poſtea eadem Latinitate donari curavit; ratus ſe rem non gratam modo, ſed & utilem cunctis Philiatris facturum, in alias regiones, quæ Gallica Lingua non utuntur, evulgando, & publici juris faciendo: Materiam, quam ſuperat opus, à Viro tanti nominis excultum, benevolo animo excipe Lector, & laboribus noſtris fave.

INDEX

INDEX
Capitum Tractatus de CAFÉ.

Cap. I. *Quid ſit* Café : *& de genuino illius nomine.* 3.
Cap. II. *Quibus in locis geminat* Café,*& quantum illius quotannis ad nos perfertur.* 6.
Cap, III. *A quo tempore potio* Café *nobis & Orientalibus in uſu ſit.* 9.
Cap. IV. *Quomodo* Café *fuerit detectū?* 17.
Cap. V. *Obſervationes pro deligendo* Café;*modus convenienter ipſum torrefaciendi;& quibus cautionibus in farinam redactum conſervetur?* 19.
Cap. VI. *Quomodo ad potum farina* Café *ſit Coquenda: quâ quantitate & quo pacto ſit inſumenda?* 26.
Cap. VII. *De primis* Café *qualitatibus* 31.
Cap. VIII. *Analyſis* Café; *quæ ſunt ipſius qualitates ſecundæ.* 36.
Cap, IX. *De effectis* Cafe *,imprimis ad ſtomachi affectus.* 51.
Cap. X. *De ventris infimi , & mulierum morbis quibus* Café *inſervit ; de Calculo & podagra.* 57.
Cap. XI. *De uſu* Café *in pectoris morbis; de Lacte Cafeteo,de efficacia* Café *ad febres ſanandas.* 43.
Cap. XII. *De utilitate* Café *in levandis Capitis doloribus;numque homines inſomnes teneat.* 78.
Cap. XIII. *De temperamentis & morbis quibus* Café *minus idoneum eſt.*
Epiſtola Dom. BERNIER 88

INDEX

Capitum Tractatus de Chinenſium THE'.

Cap. I. DE *natura* Thé; *de nomine ejus, locis è quibus affertur & uſus ejus antiquitate.* 94
Cap. II. *De* Thé *eligendo; de Regionibus ubi in uſu non eſt; de modoque illud præparandi.* 103
Cap. III *De herbæ* Thé *viribus ad fugandum ſomnum.* 111
Cap. IV. *De virtute* Thé *ad ſanandos Capitis dolores.* 117
Cap. V. *De virtutibus* Thé *in morbis ſtomachi, in podagra, Calculo, dolore Colico, morbis lienis, Rheumatiſmis, morbiſque aliis & de* Thé *cum lacte.* 113

INDEX

Capitum Tractatus de CHOCOLATA.

Cap. I. QVid ſit Chocolata: *& examen ejus ingredientium.* 132
Cap. II. *Præparatio & mixtio ſimplicium ad* Chocolatæ *Compoſitionem, tum & bibendi modus.* 151
Cap. III. *De qualitatibus ex* Chocolatæ *ingredientium mixtione reſultantib.* 161
Cap. IV. *Quibus affectibus* Chocolata *conveniat.* 165
Dialogus de Chocolata *Interlocutoribus Medico, Americano & Cive.* 113

FINIS.

I
s
7
s
e
s,
-
13

A.
en
132
um
s &
151
ux
161
laia
165
ibus
113


Ibric vel Olla ad decoctionem Cafe
Planta Café
Instrumentum ad torrefaciendam Cafam
Faba Café

TRACTATUS DE POTU CAPHE'

INFINITA Dei benignitas atque potentia creaturarum conſervationi ultrò & abundè providit. Is ob oculos & quaſi præ manibus noſtris poſuit ea omnia quibus aut pro alimento aut remedio utamur, quæque ſanitati conſervandæ aut reſtaurandæ conducere poſſunt. Nulla nobis magis apta videntur, quàm quæ apud nos germinant: ſed curioſus & irrequietus hominis animus, alia è longinquo ſollicitè quærit, patrium negligens ſolum ut remotum fodiat. Inde fit, ut in Medicina nulla hodie pharmaca magis in promptu ſint quàm quæ nobis ab Oriente allata ſunt: quaſi verò fœcundior ſit Sol ubi oritur, quàm ubi occidit; quaſi novercantem Naturam accuſaremus, quæ Animali cuilibet pro-

ut ipſi convenit ſapienter, * ubi naſcitur non ſubminiſtrarit unde ſuſtentetur & conſervetur: ſordeſcunt domeſtica, peregrina laudantur.

Non eſt igitur quod miremur, homines contemptis periculis impenſiſque per mare per terras in remotas curſitare regiones, ut raræ, nova, & ſi Deo placet ſalutifera ex India utraque & remotiſſimis terræ plagis quotidie nobis afferant, inter quæ non infimum meretur locum Arabicum Café: cujus eximias vires ſcrutari mihi animus eſt, legitimumque uſum indicare breviori & clariori quâ potero methodo.

NOTA.

* Non minùs ſanè damnandi veniunt illi quibus nihil peregrinum arridet, quàm alii qui dum ad ea quæ natale ſolum ſuppeditat, omninò nauſeant; magnificè tantùm ſentiunt de pharmacis aliunde advectis; quique quò aliquid in remotioribus mundi regionibus naſcitur, majorique impensâ & labore acquiritur, eò nobilioribus viribus dotatum opinantur. Nos nec ab horum nec ab illorum parte ſtantes, agnoſcimus plura in Indiis progigni, ſivè ex naturâ ſoli, ſivè ex naturâ Cœli, quibus nihil prorſus

ſus coæquandum in noſtris reperiatur terris: nam ut nihil dicamus de Cinnamomô, de Caſſiis, de Balſamis, de Caryophyllis, aliaque tota aromatum ſegete, quis unquam apud nos ita fuit felix, ut ipſi occurrerit inter arbores noſtrates unde decerperet corticem Febres certò profligantem, qualis in America inventa eſt? Quis inter radices remedium antidyſentericum tutum, ac contra omnes prope hæmorrhagias utile, quale juxta aureas mineras Regni Peruviani, celebris jam & undique nota radix Hypecacuhana magnô noſtrô emolumentô præbuit? Et ut alia plura ſileam, quis ad Cephaleas ac Hemicraneas Medicamentum aliquod domeſticum obtinuit folio fructicis Thé, aut fructui toſto arbuſculæ, Coofé aut Café dicto, æquiparandum? Itaque nobis nec noſtra nec aliena ſordebunt, dum ſuâ ſe commendabunt efficaciâ.

Cap. I.

Quid ſit Café & de genuino illius nomine.

CAfé eſt leguminis peregrini ſpecies, magnitudinis noſtratium fabarum à quibus non admodum abludit, rotundum ex una parte ex altera planum cum fiſſura in medio, coloris inter can-

didum & flavum ſubobſcuri ; involutum duplici cortice, interiori admodum tenui & ejuſdem coloris ac granum ipſum, exteriori verò ſubnigro & ſatis craſſo : verùm ad nos fertur plerumque decorticatum : arbor cujus eſt fructus ſimilis eſt Evonymo, teſte Proſpero Alpino in tractatu de plantis Ægypti, vel etiam noſtrati Ceraſo, tum in foliis & ramis, tum in magnitudine; frutex enim eſt tenuibus ramis, exiguis foliis, æquis, craſſis & viridentibus ſemper, citò tamen deciduis, remanente fructu donec perfectam maturitatem aſſequatur. At meliùs innoteſcet ex tabella initio hujus tractatus exhibita. Authores qui de Café ſermonem fecere illud ad fabarum genus referunt ob affinitatem quam cum illis habet: quinque & viginti ab hinc annis adeò paucis innotuerat in Gallia, ut à pluribus Morum nuncuparetur, prout in quodam folio Lutetiæ Typis dato legere eſt, cùm tunc in Gallia ſorbitio hæc in uſumrevocari inciperet. Imò & nunc etſi invaluerit, mirum quantum circa ejus nomen & qualitates Authores diſcrepent. Quidam antequam in pulverem redactum ſit nominandum eſſe cenſent latinè *Bunchum*, gallicè, *Bon*, alii in pul-

pulverem redacto alia & varia nomina ipſi imponunt, nempe *Café, Caphé, Cavé, Cavet, Cahué, Caveah, Chaubé, Choana, Chaena, aut* Cahueh. Interea referam quæ ad me Alepo acerrimi ingenii vir *(a)* ſcripſit hac de re, conſultis eruditioribus indigenis.

Fabæ de qua ad me ſcribis nomen, inquit, Arabiæ unde illam habemus idiomate eſt *Cahoüeh*, Arabi enim, v conſonans ut cæteri populi non habent. Turcæ aliique Orientales pronuntiant *Cahué*, originemque deducunt à *Cohuet* quod eſt robur: ſic nuncupantes quia ejus effectus inſignis eſt Corrobare. Hæc ille, verùm nos in hoc tractatu Caphé voce apud Europæos magis notâ perinde uti non dubitabimus. Nota

Leguminis nomen minùs propriè ab Autore conceditur fructui arboris Cofé; nam hoc non venit tribuendum vel aliquali figuræ ſimilitudini, vel aliis quibusdam accidentibus, ni etiam tota planta pro colligendo hoc fructu è terrâ legatur ac evellatur; ſiquidem ut inquit Plinius, *Legumina velluntur è terrâ, non ſubſecantur. Unde & legumina appellata,*

(*a*) Dominus Eques D'Arvieux Conſul pro Gallis.

quia ita leguntur. Verùm hoc tantùm per tranſennam; error etenim in nomine non erit ita momentoſus, ut modò in aliis non peccetur habeamus cui reprehendendo multum immoremur. Deſcriptionem plantæ quod attinet, illa equidem non omni ex parte accurata; florem etenim, aut alia multa ad integrā deſcriptionem facientia non exhibet, At id non Autoris culpâ, ſed tantùm eapropter quod à peregrinatoribus non ſatis commodè fuerit conſpecta ut ipſius perſectior traderetur idea: Unde & Clariſſim. Raius & alii verè eximii Botanici non habuere quô curioſitati noſtræ in hujus arbuſculæ delineatione pleniùs ſatisfacerent.

CAP. II.

Quibus in locis germinet Café & quantum illius quotannis ad nos perfertur.

Ex omnibus terræ plagis ſola *Yemen* nunc dicta, olim Arabia felix Café progignit, unde quibuſdam Fabæ Arabicæ nomine non malè donatur. Naſcitur abſque cultura in illius vaſtis campis meridiem verſùs. Hinc collectum *Moram Louheïam.* inque alios maris rubri portus tranſvehitur. Mox cymbis *Geddam* defer-

fertur maritimam Arabiæ Petreæ urbem ditionis Cheriffi *Meka*. Illic navibus, triremibuſque imponitur, & ad maritimam itidem urbem *Sues* duas & viginti leucas circiter Caïro diſtantem amandatur: quò ſingulis annis viginti quinque millia Saccorum, quorum ſinguli 300. libras continent, Camelis apportari ſolent. Præterea decem aut quindecim millia ejuſdem ponderis Mercatorum *Caravana* Medina cum Peregrinis Prophetæ devotis redux in Ægyptum & ſyriam affert, Arabeſque non paucam etiam copiam ad celebres Mekæ nundinas deferunt.

Multi aſſerunt, orientis incolas priusquam Arabicam hanc Fabam venum exponant, ne alibi ſeratur, germen illius extinguendi cauſâ, illam in aqua fervefacere, aut in clibano calente aliquandiu detinere. Alii, quibus aſſentior, in contrariam eunt ſententiam, huic innixi rationi. Si verum eſſet inquiunt, Café fervefactū aut Clibano leviter torrefactum fuiſſe, pauca ipſius grana, antequam ex Arabia transferrentur, ſuo cortice induta remanerent. Ille enim cortex tenuis admodum exiſtens igne quantumvis levi in pulverem decideret, cùm tamen plura

cortice adhucdum involuta nobis occurrant huc allata: præterquam quod ſaporem, odoremvè quendam torridum, quibus tamen carent, impertiretur ignis.

Nec mirandum in ſola Felice Arabia paucos duntaxat agros huicce Fabæ procreandę aptos eſſe. Haud diſpar res agitur circa gummi arboris thuriferæ, quæ quidem arbor in vaſtis circa Sinai montem planitiebus, juxta mare rubrum creſcit copioſiſſimè, at illinc ſemidiei itinere vix unam reperias, & ſi fortè quædam naſcatur perpuſilla eſt & gummi deſtituta. Ita omnibus notum eſt, res nonnullas aliquo in loco abundè provenire, alio verò propinquo deſiderari. Caſſiam optimam in certis Ægypti agris reperire eſt, in alio aliquot milliaribus diſſito aut nullam, aut nullius planè pretii: ita ut verbi gratiâ, *Peluſium* quadringenta aut quingenta centipondia quotannis ſuppeditet, *Rouſſetum* verò virciter quindecim milliaribus diſtans, aut penitus nullam ejus arborem habeat, aut fermè ſterilem.

* Hic omnino cum Clariſſ. Raio mirari ſubeſt tantum theſaurum unius tantùm gentis peculium eſſe, tamque lucroſæ ſtirpis plantaria intra unius Provinciæ angu-

auguſtias coërceri. Mirum etenim, ut habet ille, vicinas nationes, exſtimulante invidiâ aut avaritiâ, ea jam pridem vel vi depopulatos non eſſe, vel ſemina aut viviradices dolo ſurripuiſſe. Mirum quem vigilem Draconem tuendis caovetis ſuis præficiant indigenæ, qui omnes inſidiantium technas & conatus fruſtretur aut eludat. Nec enim dubitandum quin in eodem climate eàdem ſoli conſtitutione & temperie cæli gaudente ſata, & feliciter adoleſcere, & ad frugem pervenire poſſet. Mirum denique unius regionis meſſes totius Orbis expenſis ſufficere. Oportet utique ut & terra fertiliſſima ſit, & latifundia arbuſculis conſita ſpacioſiſſima.

Cap. III.

A quo tempore potio Café nobis & Orientalibus in uſu ſit.

A Quadraginta circiter annis tantùm in Gallia Café innotuit, ejuſque uſus à quinque & viginti annis apud nos obtinuit. Ad id haud dubiè multùm contulit novitatis ſtudium. Obſervatur in Cancellarii Baconis operibus ante quin-

quaginta annos typis datis tunc temporis Anglis non niſi nomine notum fuiſſe, ejuſque virtutes eos penitus latuiſſe. *Turcis*, inquit *Autor quædam Plantæ ſpecies eſt, Café dicta, quam ſiccatam in pulverem redigunt, ut ex ea cum aqua calida fiat potus; eo ſe credunt animoſos & ingenio acres evadere, ſed immoderatè ſumptus perturbat unde dignoſcimus plantam illam ex remediis ſomniferis eſſe*: In quo certè fallitur. Non ita facilè certoque aſſeri poteſt quandonam Café Orientalibus fuerit detectum; Verùm non dubium eſt, quin uno loco citiùs quàm altero innotuerit; eoque per multos annos antequam in vulgus abierit nonnulli potiti videntur. Si iis quæ mihi ex Oriente ſcripta ſunt fidem adhibeo, à duobus tantùm circiter ſeculis potui eſſe cæpit ita vulgari ac hodie, quod tamen incertum adhuc manet. Quandoquidem Ludovicus Baſſano, Antonius Menavinus & Franciſcus Sanſovinus qui ſcripſere primus anno 1545. ſecundus 1548. alter verò 1563. ubi loquuntur de tribus Turcarum potionibus & eas deſcribunt, nequidem unum verbum de Café pronuntiant. Quod ſi non eſt argumentum demonſtrativum, indicium tamen eſt ſuſ-

pendendo judicio ſufficiens. Imò plures affirmant Turcis & eorum vicinis potum illum non fuiſſe admiſſum, niſi cùm Sultanus Helim debellavit Ægyptum annis ſcilicet 1517. & 1518. ubi illius uſum à longo jam tempore inſtitutum deprehenderunt. Hoc illi haud dubie ab Arabibus quibus café à centum & ſeptem annis notum erat acceperant, ſi fidem iis adhibeamus quæ de hac referunt Moderni quidam Autores quorum libri ea opinione ſunt referti Razim & Avicennam de eo ſub nomine *Bunchi* diſſeruiſſe, verùm Velſchius in ſuo tractatu de vena Medinenſi probat *Bunchum* non eſſe Café Arabum, in ambigua voce errorem fuiſſe demonſtrans. Adde quod Ebenbeithar aſſerat Bunchum eſſe *Naſcaphthum* Dioſcoridis, & *Ebenmaruſi* notet in ſuo dictionario *Bunchum* eſſe radicem odoriferam: reapte Avicenna ipſum radicibus adſcribit, quod minime café convenit. Prætèrea contendit Velſchius, Proſperum Alpinum accepiſſe *Bun* pro eo quod dixit Avicenna de *glande unguentaria*, Arabibus appellata *Ban*, referre poſſem locum Avicennæ, ſed qui ex hujus Autoris obſcuro textu Fabas

 no-

noſtræ Arabicæ notitiam quærunt, planè incerto nituntur argumento.

Marcus Paulus qui circa tertii decimi ſæculi medium ſcripſit, quemque norunt accuratum, ne verbum quidem de ea in itinerario ſuo orientem verſùs profert. Proſper Alpinus qui à circiter centum annis iter fecit in Ægyptum, & poſt ipſum Veslingius qui ibi ſat diu verſatus eſt, primi ex Europæis de illo ſcripſere, id quod nos certiores facit, ſeculum cui Café detectio tribuitur, fortè non ita longè petendum eſſe. Apud omnes autem eſt in confeſſo hodie in Oriente in communem uſum ceſſiſſe, & eo more ut ſingulis mane ubi ſurrexerunt & ſuas fudere preces, ſive domi ſive foris, cujuſcumque ſtatus, ſexus & omnis ferme ætatis, vel iteratum craterem quam *fingeans* nominant aſſumere ſoleant, ſtomacho non jejuno, ut pluribus in Gallia mos eſt, ſed ab aſſumpto cibo. Magnates ante potum iſtum acceptum, jentaculum ſumunt quod prandii loco eſſe poſſet & quocum ad ſecundam uſque poſt meridiem horam cibo abſtinent. Mercatores & Mercenarii parùm panis huic uſui deſtinati, quem alicubi dicunt *Futier*, alibi *Quaqui*

qui edere ſolent. Hujuſmodi panis juxta eam quam accepi figuram , panem buccellatum palmæ inſtar latum & planum refert, Verbò, & divites & pauperes ſingulis matutinis diebus antequam Café potent cibi aliquid ſumunt, perſuaſi id ſtomacho jejuno ſumptum in bilem converti ac quidquid in ſtomacho offendit in bilem immutare, ipſum arrodere , devorare & ad exinanitionem uſque debilitare, membra omnia gravedine afficere, appetitum tollere, anxietate, mœtore & impatientia animum cumulare; totum denique corpus dejicere. Hinc eſt quòd ad portas tabernarum Café, innumeri reperiantur vendentes *Futier* , buccellatos alioſque artopticios panes , quos potaturi manducandos emunt, experientia edocti illud hac cautione ſumptum ſalubrius eſſe: quod locum dedit proverbio , inter eos obtinenti , ſi ante Café ſumptionem nihil haberent manducandum ſuæ togæ globulum deglutiendum eſſe aut eo abſtinendum.

Interim , Orientalium pace dicam ; Medicinæ haud experientiſſimorum, quotidianâ experientiâ comprobatur in noſtris regionibus illud etiam jejunos

juvare

juvare; quamvis fatebor jam paſtis eſſe ſalubrius, mavimè ſi contra ſtomachi incommoda adhibeatur. Circa hæc tamen nullas certas poſſumus præſcribere regulas. Pro vario uniuſcujusque temperamento varias neceſſe eſt habere rationes, cum remedia & alimenta inæqualis ſint virtutis juxta diverſa quibus applicantur ſubjecta. Hæc apud Turcas opinio invaluit potionem hanc non ſanitari ſolùm ſed nutritioni quoque multùm conducere; quod Eruditi humori Oleagineo Gafé à natura inſito adſcribunt; quippe qui non ſolum fermenti æſtum temperat, impedit ne ſtomachì menbranas vellicet & cibi appetentiam retardat, ſed etiam materiam quamdam in ſuccum nutrititium convertibilem ſuppeditat, ſpirituſque reficir, utuntur eô pauperes, quò ſumptui parcant; & revera plures in illis regionibus mihi amici, Litteris me monent operarios quoſdam hauſtis mane aliquot crateribus, & aliquot aliis per reliquum diem, ipſum abſque cibo tranſigere. In hiſce autem regionibus hanc qualitatem ſaltem non adeo ſenſibilem ipſi ineſſe non deprehendi; Cùm verò idipſum à pluribus viatoribus habea-

bea-

beamus confirmatum lubens credo, rationem diſcriminis hujus ex parte eſſe in eo, quòd è remotis adeo regionibus huc allatum multum de virtute ſua deperdat. Eòque magis animo inſidet hæc opinio, quòd ipſam amplectatur Dominus Bernier in illis plagis verſatus proque maxima ſua ſinceritate credendus. Exhibebo ſub finem quæ in literis quas ad me dedit ſuper hac re diſſerit.

Turcis generatim non ſatis eſt Café potare in privatis ædibus, inviſunt etiam tabernas quæ plures ſunt in locis urbium clarioribus, quaſque *Cahué kané* nuncupant. Illuc ſingulis ferè horis potatum ſe conferunt, nulla ſtatus habitâ ratione, & poſt diverſos itus & reditus magnam ibi diei partem tranſigunt confabulando, nec rei cuipiam certi argumenti ſeſe adſtringendo, licèt quamlibet materiam ſui juris faciant. Sermocinantur interdum de rebus publicis, interdum figmentis joculis, prout quiſq; ad lubitum fingit, ſeſe oblectant. Tabernarum domini, quo magis rationibus ſuis ſtudeant commoditates ac omnigenas voluptates iis conciliant

imò

imò varii generis muſicos qui alliciant & oblectent ſumptibus ſuis detinent. Frequenti adeuntium multitudine celebrantur illæ domus, imprimis ad tertiam & quartam poſt meridiem horam, quod tempus precibus, quas *Laſſero* aut *Quindi* appellant, dicatum eſt: tunc Catervatim illuc confluunt velut ad oblectationem quâ vix abſtinere poſſent. Café non plebeiis ſolùm commune; apud Magnates etiam in officiis urbanitatis exhibendis oblectamento eſt, & ſi deſideraretur parum placeret congreſſus. Supremi Regiæ Miniſtri ſicut ex civibus minimi, ipſum tenentur offerre potandum omnibus qui ipſos conveniunt, id ſi intermitterent in uſu & urbanitate multùm delinquerent. Viſirius ipſe ne ullum quidem Legatum in concilium advocat, quin ipſum Café adjunctis Sorbeto & ſuffitu excipiat; Contemptui alioquin tribueretur. Verùm aliquando non offertur ſuffitus durante ſcilicet Ramadam quod Turcis tempus eſt jejunio ſacrum. Adeo uſq; Religionis ſuæ zelant leges, ut ſi quàm minimum odorarentur jejunii violati reos ſeſe crederent, & eodem Religionis animo etiam

ſic

ſi aliis Café offerant, illo tamen ut abſtineant diligenter cavent. Verbò, in Oriente & maximè apud Turcas in exhibendo ſibi invicem honore, Café ut præcipuum adjungitur & ideo inter epitheta quibus illud inſigniunt Honorabile dicere ſolent.

Cap. IV.

Quomodo Cafè fuerit detectum?

IN dubium revocari non poteſt quia Deus in rerum primordiis cùm terram juſſit herbas, arboreſque producere, qualitates pro ſua voluntate ipſis indiderit. Stante hoc principio, certum eſt Café ab origine illis omnibus qualitatibus propter quas tantô cum ſtudiô illud requirimus præditum fuiſſe. Nec tamen ideò eas ab omni ævo fuiſſe notas opinandum eſt: per multa ſecula non ſolùm tectæ remanſerant; ſed etiam quid eſſet Café planè ignorabatur. Deus tamen qui has facultates ad hominis utilitatem ipſi indiderat, noluit ut ob ejus ignorantiam ipſarum uſu privaretur; huncque theſaurum, quo tot populi gaudent demùm è tenebris erui voluit.

Media ad hunc finem adhibita divinam providentiam ita prædicant, ut nemo ſit qui ea addiſcere dedignetur. Quæ ſuper hac re proferam, deprompſi ex diſſertatione Fauſti Naitonis Maronitæ Linguarum Chaldaicæ & Syriacæ in Collegio Romano profeſſoris, quæ extat in Italorum eruditorum Ephemeride, anni 1671.

" Cuſtos, inquit, Camelorum aut Ca-
" prarum, ut exiſtimant alii, quibuſdam
" Monachis retulit, nonnunquam Ca-
" pras aut Camelos ſuos noctes vigilando
" & ſaltando tranſigere, id quod Abbas
" pabulo tribuendum ſtatim conjecit.
" Cujus ut certior fieret, in loca tunc
" temporis pecudi frequentata ſe contu-
" lit, & animadvertit, illam die nocti
" quam ſaltando agerat anteriori multos
" certi cujuſdam generis occurriſſe fru-
" tices, quorum fructus veriſimiliter co-
" mederat. Nonnullos itaque eorum
" qualitates inveſtigandi cauſa collectos
" aqua ferveſcit & liquore epotato ſom-
" num averti deprehendit, quô motus,
" Monachis ſuis ne officii nocturni tem-
" pore dormirent potandum præbuit.
" Res ex voto ceſſit; & paulò poſt mul-
" tas fructui illi ſalubres eſſe qualitates
" detectum fuit. Quapropter multis de-
" ſiderabi-

" deſiderabilis evaſit, maximè autem ipſius mercatoribus quippe qui in grati " animi fidem preces privatas & ſolemnes ſacrant *Sciadli & Aydro* quibus " Monachis hujus fructus inveſtigationis tribuitur honor.

CAP. V.

Obſervationes pro deligendo Café; modus convenienter ipſum torrefaciendi; & quibus cautionibus in farinam redactum conſervetur?

PRiuſquam loquar de modo Café torrefaciendi; quaſdam neceſſum credo, prælibare cautiones quibus convenienter eligatur. Paucis id agetur. Memoria tantùm tenendum eſt, cùm Café ſit de leguminum genere hoc illi commune eſſe cum aliis leguminibus, quòd quò minùs exſuccum eſt, eò melius ſit. Inſuper obſervandum an ſordibus quibus pondus illius augeretur, quibuſque de ſua virtute amitteret, purgatum ſit. Optandum eſſet ut vetus à recente probè diſtinguere poſſemus, certum enim eſt Café quò vetuſtius eſt eò minus valere, quo plus enim ſiccatur eo plus de

ſucco

ſucco & de ſapore ſuo evaneſcit. Sed hæc captu noſtro majora ſunt. Nec video quomodo quis in hoc fraudem vitare queat, niſi, ut ſoleo, identidem Café ex locis proximis ſibi deferendum curet; nec id tamen periculo nos eximit. Sunt qui ipſum coloris flavi obſcuri, & levem, ſubalbo & gravi anteponendum eſſe cenſent, Ea ſunt quæ hac in re hucuſque deprehendere potui.

Si dixero Café quale ab Oriente defertur, in ſe habere qualitates quas illi tribuimus & ipſum non habere, Contradictorium videbitur. Attamen hoc certo certius eſt. En quam do rationem. Sumatur Café, quale illud accipimus, contundatur & fervefiat, aliquot ex eo calices hauriantur, nullius erit effectus. Sed ſi dum torrefit, illi ut par eſt coctionis gradus addantur & farinâ fervefactâ crateres aliquot ſorbeantur, eæ inerunt quæ ipſi tribuuntur qualitates. Hoc probat virtutem Café, licèt ipſi à natura inſitam, attamen velut extinctam eſſe niſi ignis ope excitaretur. Etenim non niſi torrefacto utimur, quia experientia compertum eſt illius corpus ignis vi penetrari & Phlegma quo irretiebantur ejus ſpiritus exhalare, ideoque illud aperitivum & ſtoma-

ſtomachicum effici : Cujus rei cauſa eſt ſal aliquod fixum & humor quidam oleaginoſus ipſi proprius, ut inferiùs patebit. At non niſi longo uſu, torrefactionis gradum diſcimus. Si nimium aut minùs quàm par ſit aduratur inutile redditur, id quod invictè probat ad torrefactionem convenientem & utilem peragendam, medium tenere maximi eſſe momenti. Multi hujus artis ſe jactant peritos, ſed pauci illam callent, non dicam ſolum in Gallia, ubi tot habemus hujus farinæ homines, qui cùm peritiâ ſint admodum brevi, tamen eruditiſſimi & omniſcij haberi volunt, ſed etiam in Oriente ubi frequenti uſu Café, ij ſaltem qui illud vendendo toti ſe dant omnia præparationi requiſita edoceri debuiſſent. Hoc adeò verum eſt ut Dominus Bernier qui Caïri, ubi multum Café conſumitur ſat diu verſatus eſt, duos tantùm fuiſſe tabernarios perfectè torrefaciendi Café peritos famam proclamare teſtatur. Interim qui committuntur in hoc errores cauſam eſſe opinor cur minùs hic ſuos effectus ſortiatur. Longè aliter ſe res haberet ſi plerique eorum qui illud torrefaciendum ſuſcipiunt, tandem ſe huic arti impares eſſe ſibi perſuaderent, & iis

acquieſ-

acquieſcerent quos longa & frequens experientia edocuit. At non ſperem illos hoc conſilio ad ſanam de peritia ſua opinionem adductum iri, qui potiùs miſeratione digni ſunt. Ego, ſi præjudicia tollere nequeam, eorum tamen ignorantiæ providere tentabo. Patefaciam igitur, quod conveniens Café torrefaciendo & utiliter potando deprehendi, tum experientiâ propriâ, tum amicorum, quorum aliqui maximam vitæ partem in Oriente commorati ſunt, quos quoque mos Café potandi, attentos & curioſos circa minima quæ ad rectam præparationem ſunt adhibenda, reddidit.

Torrefactio.

Accipe quæ torrefacere vis grana *Bun*, (voce illa impræſentiarum utor, ut ſententiæ eorum me accommodem qui priuſquam in pulverem redactum fuerit, *Café* vocandum eſſe negant) dummodò duarum aut trium librarum, pro ſingula vice, quantitatem non excedat: quò minori enim quantitate ſumuntur grana eò meliùs torrefiunt. Sartagini aut æneæ lanci, vel ſi mavis pelvi fictili, ſuperpoſitæ igni carbonum probè ſine flamma tamen

accenſo

accenſo injicias,cura deinde ut ſtatim atque ipſa incaleſieri animadverteris cochleari ferreo vel ſpathulâ indeſinenter agitentur, & ſic ſingula grana æqualiter ignis vim recipiant donec ſemi-uſta appareant; Cavendo maximè ne ulterius procedat uſtio; quod tibi innoteſcet cùm colore caſtaneo & ſubnigro grana tincta videbis, tùncque igne eximas. Si debitè peracta fuerit, jucundum veluti panis aduſti odorem ſed cephalicum & ſtomachicum magis percipies. Torrefieri etiam poteſt in vaſe ex ferro albicante aut cupro ſtanneo confecto, quale videre eſt in tabella quam initio hujus Tractatus exhibeo, quod quidem granis impletur, tegitur operculo & ad ignem carbonum valdè accenſum circumagitur donec ſatis torrefacta ſint. Hôc pactô, hauddubiè, minori quantitate ac in pelvi fictili detecta volatiles partes evaneſcerent, indéque melius evaderet. Licèt tamen modum iſtum pluries experiri conatus ſim, nunquam res ex ſententiâ ceſſit, aliorum fortè voto & experimentis ſuccedet. Grana decocta contundes & in pulverem rediges: non multùm minutè conciſa Orientalibus placent, Gallis verò ita tenuia ut ſubtiliſſimum cribrum ſubire queant.

Gran

Granis decoctis & contuſis apprimè cavendum ne evanida fiat farina, huic enim magis eſt obnoxia quàm vinum ipſum; & ſi ſemel vappida ſit, nulli rei ampliùs conducit, ejus qualitates enim non modò debilitantur ſed penitùs pereunt, quod nunquam ſatis vitare debemus. Curandum igitur molitô granô, farinam coriô adipe exteriùs unctô aut ceratô includi, ita ut nec per corii poros nec per ſacci ſuturas ullus aëri detur aditus; ſubitò igitur ſtringendus ſaccus ad Café ſuperficiem uſque, nec niſi ad uſum aperiendus, túncque cochleari utendum eſt, ut protinus & cum omni diligentia religetur. Ratio hujus eſt, quòd virtus Café maxima in ſpiritibus qui per torrefactionem elevantur conſiſtat, qui ſi evanuerint, nonniſi magna aut inſipida quædam farina mucidum & ſitum redolens ſuperſtes erit, illiúſque decoctio æquè injucunda eſt ac ſanitati noxia. Hoc animadvertere eſt, cùm farina loco odoris panis calidi & aduſti, mucidum olet. Quo diutiùs aſſervatur, eò minoris eſt virtutis, in dies odorem & ſaporem balſamicum qui igne excitatur aëre verò diſſipatur, amittendo. Minima igitur & quâ ſolùm opus eſt quantitate, pro ſingula vice & ipſum

ſumendi

ſumendi imminenti tempore molendum eſt, ut majoris jucunditatis & utilitatis ſit potio. Hac ut pote præſtantiori metho- do utuntur Arabiæ deſertæ incolæ; mo- leſtus tamen eſt iis qui jucunditatem ſine curis expetunt. Interim aliter agere & in tertium & quartum menſem conge- ſtam ſervare farinam, præcipuum negli- gere eſt. Et deſcribo modum facilem quo in torrefaciendo Café nunquam aberres. Si autem ſemel Café inveneris tuo temperamento ſanum, illius in ſpeci- men pugillum aſſerva, & torrefaciendo cùm ipſum prope coctum videris quæ- dam ex intervallö contunde grana donec farina eôdem colore imbuatur. Hac cautione vix intento fruſtraberis.

Quamvis multis è locis acceperim, Café corticem æque ac ipſum granum uſurpari, hoc tamen miſſum facio duas ob rationes. Prima, eſt quia non ma- jori virtute quàm Café Cortex pollere obſervetur; altera verò quia licèt ita ſe res haberet parva adeo Corticis quanti- tas nobis adfertur, ut nonniſi in pauxil- lum tempus comparare poſſemus.

Cap. VI.

Quomodo ad potum farina Cafè ſit quoquenda? quâ quantitate & quo pacto ſit inſumenda?

EX capite præcedenti patet, quantùm referat, Café, ut utilitati vertatur, debitè torrefieri; in hocce verò videbimus, non minùs intereſſe, ſi amabilis ſperetur effectus, ut farina debitè coquatur. Non inficior tamen, quòd cùm tot in poſteriori hac farinæ præparatione obſervanda & cavenda non concurrant, rem feliciorem plerumque ſequi exitum ſi curæ, cordique ſint ea quæ dare in procinctu ſtamus concilia. Ad decoquendum Cafè ſpecies nonnulla vaſis ænei intus & extus ſtanno obducti in Orienre adhibetur, cujus ſtructuram ex arte Gallis noſtris aſſequi nondum datum eſt. *Ibriq* eam ſicut & ollas & vaſa alia anſata, appellant. Ejus figura initio hujus libri exhibetur, & huic uſui maximè mihi videtur appoſitum, cùm venter ejus admodùm tumidus, recipiendæ vi ignis ſicque celeriùs aquæ coctioni promovendæ ſit idoneus, ejus verò collum, ut pote

pote anguſtum, volatiles Café Spiritus, quique potiſſimam ipſius partem conſtituunt, retinere ſit aptum. Hæc tamen ſi deſideretur, anſata quævis olla plumbagine, aut cuprea ſtanno obducta & huic unico uſui deſtinata uti licebit, cui aquæ craterem infundes decem aut duodecim unciarum pondus non excedentem, igniculo vivido carbonario imponatur, eique cùm aqua aliquantulum ferbuerit circiter trium drachmarum pulverem injicias, ſedulò cavens ne quidquam effundatur; pulvere enim aquæ immiſſo, illicò incredibili celeritate in ſpumam agitur. Curandum quoque ut quamprimum aqua ollæ labia attingere animadverteris igne amoveas, admovendam identidem uſque dum duodecies circiter efferbuerit aqua, ne quidquam effundatur etiam atque etiam cavendo; hoc enim ſi accideret in vanum fieret decoctio cùm omnes ſpiritus & ſic omnis virtus evaneſceret & penitùs periret. Quô peractô olla igne amoveatur cineribus ſatis calidis imponenda ut decoctum caloris quantum poterit abſque bullitione conſervet ibique relinquatur donec magma fundum petierit & decoctio limpida & ſubflava ſuperſit.

Tunc inclinatione calici affundetur cavendo ne magma, quod nihili eſt, liquori remiſceatur. Cæterùm hic potus non eſt continuà ſerie bibendus, ſed tantùm ſorbillandus, quantùm poterit calidè quò calidiùs enim aſſumitur eò ſalubriùs. Lingua ne aduratur crateri non eſt immittenda ſed eâ mediâ inter labrum inferius ita extremis calicis proluere ut ferè ipſis non innitatur: Sic poſtea ſorbillandus. Potionis hujus ſapor aliquantulum amarus eſſe debet, alioquin ſua non polleret virtute. Qui adeò delicati erit palati, ut pauxillum illud amaritudinis non patiatur, Café injecto mitiget Saccharo, quod ipſi maiorem jucunditatem inducit, qualitates autem beneficas nonnihil minuit ſolamque caliditatem relinquit, præſertim ſi nimia quantitate addatur. Id ita conſuetum eſt Gallis noſtris & Pariſiis potiſſimum ut eis potus hic ut plurimum in ſyrupum quendam nigrum faceſſat. Hac mixtione non admiſsâ ipſis intolerabile videtur, & admodum jucundum amaritudine ſublatâ celebrant. Verùm equidem eſt Café ſuis qualitatibus inſtructum & recèns ipſo uti incipientibus & amaritudinem averſantibus non arridere; ſed ubi parum huic potui aſſueverint

rint nec amaritudinem ſapient, imo nec ſine illa ipſis placebit. Quod plurimi qui vel per ignorantiam vel parcimoniæ cauſa, ex prima infuſione aliam aqua recenti conficiunt, prorſus contemnendum, ſingula enim ut utilis evadat pro ſingula vice tantum admittenda quia virtutem omnem abſtulit prima decoctio. Errant qui ad Café ſpiſſius reddendum, ipſum in olla ſubinde movent ut Chocolati inſtar turbulentum aſſumant; magma enim, ut ſuperiùs dixi, nihil prodeſt & inter Orientales abjectiſſimi ſoli illud Café potandum aſſumunt. Stomachum gravat & tantùm nocet quantum limpida decoctio modò tempeſtivè ac moderate potetur, conducit. Unus aut alter crater ad maximum, mane jejunô ſtomachô aſſumptus, (quidquid cenſeant Orientales) ſufficiet, abſtinendo à cibo aliquot exinde horis: Sicque ſingulis diebus ſemel potaſſe ſat erit, niſi ad novos adhibendum crateres peculiares inducant rationes. Qui ad ſtomachi invaletudinem levandam id adhibent eum non matutino tempore, ſed poſt prandium immediatè uſurpabunt. Quo caſu commodè ſatis Caryophillos aliquot contuſos aut Cinnamomi tantillum inji-

ciant, ut factitare in Oriente aſſolent quandoque etiam aliquot Cardamomi grana addunt: at apud nos uſus iſte nondum invaluit. Qui palato indulgent aliquas ambari griſæi eſſentiæ guttas aut parum ſacchari ambaro perfuſi, aut aquæ florum arantiorum ſemicochleare, vel aliud quid odorati admiſcere ſolent. Ad normam ſupradictæ doſeos, pro unâ tantum perſonâ deſcriptæ dirigere ſe quis poterit, ad majorem quantitatem prout plures erunt potaturi. Et eò plùs aut minùs quò recentior aut vetuſtior, magiſque aut minùs uſtulatus eſt.

Alius adhuc coquendi modus multas ob rationes commodior uſurpari poterit, eadem nempe quantitate ſuperiùs deſcriptâ farina aquæ frigidæ injiciatur, ſubinde coquatur, & ſtatim ac decoxerit, adhibitis ſupra notatis cautionibus, igne amoveatur. Qui modus Arabibus & in Oriente Magnatibus magis arridet, præſertim ubi iter faciunt, aut caſtra ſequuntur.

Café pulvis, pane aduſtô, vel torrefactis fabis tertiâ parte augeri & alterari poteſt, ita ut verſatiſſimi vix advertant. Periculoſæ fraudis fomes lucrum eſt, quos enim non cogit auri ſacra fames?

Quibus

Quibus non vacat, Café torrefacere aut torrefacientibus adeſſe, ſi meum ſequantur conſilium, non niſi ab illis quorum fides ſibi probata ſit comparabunt nec viliſſimô emendum quærent, ſi fraudem vitare ſatagant.

Cap. VII.

DE

Primis Café Qualitatibus.

QUæ dixi hactenus, ad materiam viam ſternunt; nunc in rei cardine verſor, de primis enim Café qualitatibus hocce capite mihi differendum incumbit. In ſcholis primæ corporis mixti qualitates intelliguntur eæ, quæ ex unione principiorum ipſius reſultant & ex quarum combinatione aliæ corporum dependent proprietates quæque à Peripateticis qualitates ſecundæ nuncupantur; ipſi enim omnia mixta quatuor elementis conſtare ſentiunt qualitatibus ſuis ſtipatis calore, frigiditate, ſiccitate & humiditate; unde hujus argumenti enucleatio perneceſſaria eſt. Vix nàm-

que Lectorem de Café vi quibuſdam morbis ſanandis convincam, niſi demonſtravero, qua qualitate id queat efficere. Interim hic opus, hic labor eſt; Antiqui enim Authores qui de Medicina ſcripſere, ut plurimi artis veterani, cùm ad explicandas alimentorum & medicamentorum qualitates accedunt nihil aliud crepant niſi calidum, frigidum, ſiccum & humidum: Neotericorum verò cohors nihil quidquam altiùs proferunt quàm Acidum & Alkali, aut Sal Sulphur & Mercurium, filiis noſtris fortè jam alias meditantibus hypotheſes, quas novitatis ſtudium avide amplectetur, Ex alia parte, Phyſica ad quam quoque pertinet iſtud argumentum, me magis ac magis intricat, nam ſi corporum qualitates nihil aliud ſunt quàm vel figuræ, vel motus atomorum ut neotericis placet; non erit determinatu facile, num mixtis inſit calor aut frigus & Café ne ex talis aut talis figuræ atomis conſtet: Sic timens ne cui ſectæ aut Medicorum aut Philoſophorum diſpliceam, quorum rationes ſequar, ignoro, Interim miſſum facere argumentum & Lectoris voto deeſſe nefas eſt: itaque referam ea quæ à Medicis quibuſdam, ſele-

ſelectioris judicii, tum ore,tum literis didici.

In alimentorum & medicamentorum qualitatibus enarrandis, quatuor primarum qualitatum mentio neceſſaria eſt: indocti enim ſicut & docti animadvertere ſolent utrum quod ore ſumunt calorem aut refrigerationem, ſaltem cùm actio eſt admodum ſenſibilis, ipſis inducat. Sic ad dignoſcendum, utrum aqua vitæ, pipere, vino & omni aromatum genere incaleſcamus & è contra utrum Cicorio, lactucis, aqua & ptiſana ſimplici refrigeremur, nec Galenum conſuluiſſe, nec Chimiæ ſtuduiſſe opus eſt. Contendant Phyſici & Medici an calor & frigus quibus afficimur ſint accidentia, diſtincta realiter à propriis ſubſtantiis,aut ſenſationes,quas in anima excitant ad nervorum commotionem, quæ figurâ & agitatione ſuarum particularum aut ſulphuribus vel ſalibus ſuis fixis & volatilibus excitarur. Hoc ſanitatis noſtræ parum intereſt; lubens credam, hôc modô cujuſque corporum naturalium proprietatis ut alimentorum, medicamentorumque correctionis & præparationis rationes faciliùs indagari poſſe. At cùm hæc ſingulatim deſcribere mei

inſtituti non ſit; ſatis erit impreſentiarum, diſquiſiiſſe rationem primarum qualitatum ſeu caloris & frigoris Café, donec in ſequenti capite ubi de ipſius Analyſi ſeu diſtillatione, in gratiam Chimiæ ſtudioſorum, plenius de iis diſſeram. Verùm antequam definiamus quas habet proprietates, cum Medicis tenendum, res frigidas aut calidas, ſiccas aut humidas nuncupari, vel reſpectu eorum qui iis utuntur, vel ipſarum inter ſe comparatione; ſic ſpiritu vini & vino incaleſcimus, quia ab iis ſolito magis agitatur ſanguis: ptiſanâ verò, juſculo vitulinæ carnis cyatho Limonatæ, aut Cereviſiæ, & aliis hujuſmodi potionibus refrigeſcimus, quia cum iis minùs caloris inſit quàm ſanguini, illius motum minuunt, abſolutè tamen iis quoque ineſt caloris aliquantulum; aqua vitæ enim ex cereviſia & ardens ſpiritus ex ſaccharo quod aquæ limonii componendæ inſumitur extrahi poſſunt. Sic inter ſe comparata edulia, potus & medicamina plus aut minùs ſanguinem & corpus excalefaciunt. Hæc ut argumento meo accommodem, quæſtioni mihi proponendæ reſpondeam calidumne an frigidum ſit Café? dico vino, exempli gratiâ, ſi com-

paretur frigidum eſſe, quia minùs acti-vis & minùs inflammabilibus particulis conſtat; ſed ſi cum aquâ, ptiſanâ, limonatâ aliiſque aquoſis potionibus, calidum eſſe, quia amaritudinem & acutum ſaporem aliquem aquæ, ſanguini verò ſpiritibuſque plus motus quàm aliæ aquæ potiones communicat; præterquàm quòd Café calidi epoti actualis calor diutius ſpirituum motum conſervat. Temperatum igitur hac notione rectè cenſebitur. Ad ſecundum dico Café reſpectu potantium, ſi ſint temperamenti frigidi & phlegmatici, calidum eſſe, quia majorem chylo & ſanguini pituitoſos humores attenuando agitationem conciliat. Frigidum verò, igneis temperamentis; in iis enim agitationem ſanguinis nimiam temperat, quia multâ aquâ dilutus & partibus terreſtribus implicatus minuit humorum ebullitionem. Reipſa ipſius potatores conſultemus, alii ab eo calefieri, alii refrigerari ſe teſtabuntur. Nonnulli denique, nec melius nec pejus ab eo ſe habere dicent, quod temperatum eſſe & pro variis ſubjectis diverſimodè agere ſignificet. Temperatæ hujus qualitatis ratio, haud difficilis diſquiſitionis eſt. Café naturâ ſuâ, ſpecies

eſt quædam leguminis glutinoſi & terreſtris quod ipſum in alimentum ſumptum, ſanguinem craſſum & viſcidum efficiendi & conſequenter refrigerandi vi tantummodo polleret. Sed cùm torrefit, phlegmatis pars conſumitur, ſpiritus exaltantur, unde ejus particulæ ſubtiles & vellicantes fiunt: interim quia torrefactio haud vehemens eſt & particulas terreſtres ſalis adhuc ſuperſtites habent quæ actionem præpediant, effectus moderatus & temperaturæ inter calorem & frigus mediæ eveniat neceſſe eſt.

Ex his quæ diximus hactenus, minùs nobis admirationis ciere debent, diverſæ circa duas primas Café qualitates Authorum ſententiæ, quorum alii calidum, ut quô placet gradu illud definiunt, quaſi novæ artis trutinam, corporum calore aut frigore ponderando aptam excogitaſſent. Abitror ex illis plurimos huic materiæ tractandæ adeo parum huc uſque notæ haud ſatis invigilaſſe, aut ut ipſis conniveamus, ſub diverſo reſpectu conſiderarunt Café. Et hinc in diverſas abiere partes. Verùm enim verò, circa ſiccitatem aut humiditatem ejus minùs deberent diſſentire Auctores, quippe fatendum, rem toſtam ut eſt Café non

poſſe

poſſe non communicare decoctioni qualitatem exſiccantem, quæ eò magis ſenſibilis ſit quò potio illa quam omnes qui eâ utuntur diureticam eſſe norunt, de ſero ſanguinis aufert & ſic exſiccandi vim habet; nec ſiccitatem hanc magnam eſſe putandum, modò caveatur ne magma quod ſicciſſimum eſt epotetur, & aquâ diluatur.

Ex his omnibus concludo, eos qui hoc potu minus oblectamenti quàm ſanitatis gratiâ uti voluerint, ſi ſuum temperamentum & malorum ſuorum originem ignorent Medicos artis ſuæ gnaros conſulere debere: ſicque, me omnibus iis quæ forte in hocce libro ſperantur conſiliis expedio; quamvis in ſequentibus capitibus hac de re ſuperſedere haud mens ſit: explicare tentabo juxta peritorum quos conſului ſententias, qui ſint morbi, quibus medendis generatim Café inſerviat; At priùs de Analyſi chimica & de qualitatibus ipſius ſecundis diſſerere convenit.

Cap. VIII.

Analyſis Café; *quæ ſunt ipſius qualitates ſecundæ.*

UT nihil de Café intactum relinquam, penituſque ipſum cognoſcatur, ejus principia explicare atque Chimiæ operâ, de eo Analyſim experiri mihi animus eſt. Analyſis, (in gratiam ingenuæ hujus artis ignarorum dico) eſt reſolutio mixti in ſua principia ſenſibilia, ſeu diverſarum illud componentium ſubſtantiarum, quæ igne fit, ſeparatiq. Dominum Caſſair filium, qui in hoc conſilio me juvaret rogavi; Is pro humanitate & peritia votis annuit, & coram me ac erudito amico Sponio Medicinæ Doctore rem auſpicatus eſt.

Café ut fabas cæteras diſtillandum eſſe cenſens, ex puriori, accuratè lectô & optimô libram accepit, eoque retortam vitream lutatam ad dimidium implevit, ei magnum recipiens adaptans, lutatiſque juncturis ignem per gradus applicans. Exiit primò phlegma limpidum inſtar aquæ, ſequuntur vapores quos in liquorem ſubrubicundum condenſari

Vi-

vidimus, & liquor iſte quò ulteriùs progreditur operatio, eò magis coagulatur craſſiorque, nigrior & oleoſior fit, nec etiam rectè lutata vaſa impediere quominus laboratorium Café odore imbueretur. Intra octo aut novem horarum ſpatium abſolutum opus vaſa igne amovet, ut refrigeſcerent ex iis inde ſubſtantias ſtillatas educturus. Ex recipiente extraximus tum phlegmatis, tum ſpiritus, tum olei ad dimidium circiter ponderis materiæ quam in retorta poſueramus. Caput mortuum in ea reſiduum libræ quadrantem pendebat, ita quod in operatione amiſſum eſt volatilium particularum, libræ etiam quadrantem æquabat. Quod apprimè notandum eſt ut Café volatilitatem atque inde rationẽ effectuum ipſi tributorum noverimus.

Oleum quod ſuper plegmate & ſpiritu, butyri inſtar denigrati coagulatum erat, haud difficulter à reliquo disjunctum eſt. Uncias duas circiter & drachmas quinque pendebat, quod ut cum ſingulis oleis chimicis accidit rectificatum, colorem flavum ſubnigrum contraxit. Lixivii ope è capite mortuo calcinato ſalis fixi drachmam eduximus. Cumq; vehementi ſatis ad calcinationem

opus ſit igne, inde fit ut ſal illud valdè alkaliſatum ſit atque ſalis tartari inſtar ad guſtum acre.

Quod verò ſpiritum ut ſalem volatilem ſpectat, in hac deſtillatione phlegmatis portionem ſecum ſemper abducit ſal volatile, quòd illum liquidum conſervat & hæc cauſa eſt cur ipſum rectificatione in ſalis formam reduci nequeat.†

Perſentimus tantùm ſapore peracutô magnâ ſatis volatilis ſalis quãtitate phlegma imprægnatum eſſe, hęcque permixtio vocatur ſpiritus; qui flavus eſt; eo quòd ſecum vehat partem olei magis æthercam quæ ipſum hoc colore tingit: impedítque quo minus acida cum ſale alcali volatili ſpiritui immerſo fermentent, illius enim poros obturat actioníque impedimento eſt. At Alcali fixum è capite mortuo extractum incineratione, oleo ſuo omnino deſtitutum cum acidis haud ſecus ac cætera alcalia fixa fermentatur. Atque hæc dun-

† *Salem volatilem in cryſtallos coactum, non ſemel è fructu Coffe extraximus, illum prius leviter contuſum ſpiritu vini armoniacatô irrorantis, ac ſaturantes, & methodô quâdam peculiari, nobis in quibuſdam aliis ſalium volatilium eductionibus familiari, procedentes.*

duntaxat; Analyſi ſeparari potuerunt, quæ quamvis adeo ſimplicia videantur, iis tamen quæ deinceps de ejus effectis dicturus ſum fundamenti loco eſſe debent. His ita poſitis Fabæ noſtræ Arabicæ, proprietates, earúmque rationes faciliùs apprehendentur, Sic temerè nimis aut hyperbolicè de ea loqui nemo me accuſet, ſi vires ejus altiùs extulero.

Ac ſanè ubi Café ſulphure & ſale volatili plenum eſſe, quis pro comperto habebit, ipſum nutrire ſomnumque avertere non mirabitur. Utriuſque ratio patebit, ex eò quòd ſal volatile & oleum arctiſſimè unita, activitate ſomnum fugant*, & eôdem tempore lentore ſuô alimentum præbere aptiſſima ſunt, Oleum etenim particulis ramoſis & implicatu facilibus conſtans, ſale volatili qui ipſi vehiculi loco eſt adjutum animal nutrire, atque ſal humores rarefacere; ſpiritibuſque in cerebro concitatis vigiliam provocare poſſunt.

Cùm

* *Ex opio & papaveribus ſal volatile educimus ſomno conciliando apprimè conducens, eaque propter minùs accuratè ſalis volatilis naturâ & activitate in genere ponitur ratio vigiliarum illorumque in tali effectu edendo peculiare requiritur genium.*

Cùm ergo circa Café qualitates, nihil niſi præmiſſa Analyſeos operâ edoctus protulerim, non imitabor Simonem Pauli Daniæ Regis Medicum, qui tractatum de Tabaco & Thé edidit, ubi in iſtius uſum & ex occaſione in Café acerbiùs invehitur; quamvis experimento nullo fulcitus, omne quod circa Café regerit, non aliô nitatur fundamentô quàm dictis quorundam, qui illud & nimis exſiccare & viros effeminare opinati ſunt. Hæc alibi expendam, hîc autem cùm de ejus qualitatibus in genere agatur, Medicis qui frequenti uſu ejus effectus aut damna animadverterunt, potius quàm eorum opinionibus qui de iis aliorum tantùm & forte imperitorum ore loquuntur fidem adhibere rationi longè convenientius videtur.

Primus uti jam dixi *Proſper Alpinus* in ſuo de plantis Ægypti tractatu & in ſua Ægyptiorum Medicina Café mentionem fecit. Hujuſce inquit, potionis facultas frigida eſt & ſicca, aut potiùs ad primas qualitates temperata, propter aliquem ei immixtum calorem: hoc enim granum ex duabus ſubſtantiis conſtat, aliâ nempè craſſâ & terreſtri, quâ corroborat, aliâ ſubtili ex particulis calidis,

quarum

quarum ope calefacit, detergit & obſtructiones tollit. Hæc decoctio ſaporem cichorei tincturæ non abſimilem ſapit, & expeditius obſtructiones levat.

Veſlingius qui poſt Proſperum Alpinum Ægyptum luſtravit ejúſque librum de Plantis, ſuis obſervationibus exornavit, de qualitatibus ejus differens illius corticem parum frigidum & ſiccum, nucleum verò quo utimur moderatè calidum eſſe dicit. Torrefactum amaritudinis ſenſibilis eſſe at linguæ haud ingratæ, unde fit ut plerumque potio ex eo præparata nullam nauſeam procreet etiam ſatis magna quantitate. Addit præterea tragæas Cafeteas fieri. Hac de re unum & alterum amicum qui diu in Oriente degerunt conſului, illud ipſum uno ore ratum fecerunt haſque in Ægypto uſitatiſſimas eſſe plurimíque æſtimari aſſeverarunt. His motus ejuſdem generis tragemata condiri curavi, eique qui rem ſuſcepit feliciter ſucceſſit: ſed verum fatebor perjucundi ſaporis eſſe non ſum expertus, atque utrùm ulla virtute polleant incertus hæreo. *Perjucundi* ſanè ſaporis conficiuntur ejuſmodi tragemata; ſed quandoquidem *multum* ſacchari in

iis

iis impenditur, moſchôque & ambrâ aromatiſantur, potiſſima forſitan fructus coffe vis in ipſis deſiderabitur, aut ſaltem ab adjunctis maximæ activitatis non parum immutata reperietur.

Recentiores Authores omnes poſt Veſlingium & Alpinum conſentiunt Café ſtomachum roborare; corporis humores exſiccare, obſtructiones reſerare; vapores in cerebrum aſcendentes retundere, ſomnum avertere, innumeróſque alios ipſi ineſſe effectus.

Non ingratè me facturum opinor ſi Medicorum teſtimoniis allatis circa ejus qualitates addam, quæ de eo hujus ſæculi Peregrinatores nonnulli illuſtriſſimi referunt. Chorum aperiet Petrus *della Valle.* Is in primo relationum volumine, quæ ſequuntur annotat. Inter Turcas potus niger obtinet qui æſtate valdè refrigerat, hyeme verò calefacit, non mutatâ tamen naturâ, eadémque manente potione, quæ calida epotatur. Majoribus & interdum dimidiatis hauſtibus ſumitur, non inter cibandum, ſed cibo ſumpto palato ſcilicet indulgendi gratia, inter potandum confabulantur amici & ra-

„ & raros reperire eſt congreſſus in qui-
„ bus potus iſte non celebretur. Hunc
„ *Cahué* vocant, illúmque ex grano vel
„ ex fructu cujuſdam arboris in Arabia
„ Mekam verſus naſcentis conficiunt.
„ Si Turcis credamus, multùm ſanitati
„ conducit, digeſtionem juvat, ſtoma-
„ chum roborat, catharróſque ſiſtit. Ad-
„ dunt quoque, ut jam notavi, ſoporem
„ poſt cœnam fugare & ideò qui ſtudio-
„ rum cauſa vigilare volunt ſeſe hac po-
„ tione præmunire. Alia plurima quæ ad-
„ dit Petrus della Vallé quia ad rem pa-
„ rum faciunt miſſa facio; nunc ad ea
„ tranſeo quæ *Thevenot* non minùs ſin-
„ cerus & celebris ſcripſit.

„ Turcæ, inquit, potum habent perfa-
„ miliarem, quem ſingulis diei horis
„ uſurpant, quemque *Cahué* vocant.
„ Potio illa ex grano in Arabia Mekam
„ prope procreſcente conficitur. Illud in
„ ſartagine aut alio culinario vaſe torre-
„ faciunt, deinde contritum in pulve-
„ rem admodum tenuem redigunt. Eam
„ potionem ſumpturi, Cucumâ de indu-
„ ſtriâ factâ quam Ibrich vocant aquâ
„ adimpletâ ipſum decoquunt & inter
„ decoquendum pulverem ad cochlearis
„ menſuram tribus crateribus ſufficien-

tem

" tem injiciunt; eô ipſo quo decoquitur,
" momentô amovetur, aut ſaltem moti-
" tatur; alioquin nimium ſeſe elevando,
" extra cucumam deſiliret. Poſt duode-
" cimam aut ad minùs decimam ebulli-
" tionem, potum crateribus ex porcellana
" ſuper pictum orbem ligneũ diſpoſitis,
" infundunt; adhuc ferventem offerunt,
" & modeſtè calidum potatur, ſed repeti-
" tis vicibus, alioquin nullius utilitatis fo-
" ret. Potioq; illa amara eſt & ſubnigra &
" aliquatenus uſtũ redolet: eam dimidiatis
" hauſtibus ne adurantur aſſumunt, ideò
" Cavehana (hoc nomine dicunt locum
" ubi vendibilem & paratam inveniunt)
" ex ſorbillãdi modo, lepida reſonat mu-
" ſica. Hæc fumis è ſtomacho ad caput aſ-
" cendentib. deprimendis, & ex illis nato
" dolori auferendo, admodum conducit
" hæc quoq; ratio eſt, quâ ſomnum aver-
" tit. Cùm Mercatoribus noſtris Gallis,
" multæ incumbunt exarandæ litteræ, to-
" tamque volunt inſumere noctem; ea in-
" gruente, unum aut alterum craterem
" hauriunt. Stomacho corroborando
" etiam inſervit, digeſtionem juvat; ver-
" bo, ſic opinantibus Turcis, polychre-
" ſtum medicamentum eſt, non minùs
" ac Chinenſium Thé. Quoad guſtum,
qui

,, qui ſemel & ſemel biberit, pro aſſueto
,; habet, nec ulterius inſuavis eſt. Sunt
,, qui ipſi Caryophillos & aliquã Carda-
,, momi grana immiſcent , alij addunt
,, Saccharum. Mixtione hac ſuavior qui-
,, dem fit, ſed tantùm deperdit efficaciæ
,, nec pauper nec dives eſt, qui hoc potu
,, non gaudeat bino aut terno cratere ad
,, diem, & hoc unum ex iis eſt, quę maritus
,, uxori ſubminiſtrare tenetur. Quamplu-
,, rimę occurrunt tabernę *Cahué* vendibi-
,, lis; ibiq; illud in ahenis capacib. deco-
,, quunt. Hæc loca inviſunt cujuſvis ſtatus
,, homines , nulla habita nec Religionis
,, nec Profeſſionis ratione, nec pudori ver-
,, titur eas frequentare. Illuc ad confabu-
,, landum ſe conferunt plurimi, foras ad
,, tabernæ portas apponuntur ſcamna Cę-
,, mentitię ſtructurę tapetib. inſtrata, qui-
,, bus inſident ij quos prætereuntes vide-
,, re & auram captare delectat. Huc ſolitò
,, adſunt fidicines, tibicines & muſici plu-
,, res à Cavahenæ Domino ut inſtrumen-
,, tis & cantu continuo potatores alli-
,, ciant, mercede conducti. Cùm quis in
,, Cavehana eſt, & ſibi familiares intrant,
,, ſi urbanitatis aliquantulum ſit Studio-
,, ſus , cavebit ne ipſorum loculos pro
,, potų acceptet dominus, pro quo unico,
verbo

„ verbo opus eſt, clamando tantum,
„ dum ipſis offertur *Cahué*, *Giaba*, quod
„ ſonat *gratis*. Sorbeto etiam utuntur, ex-
„ quiſita admodum portione, quæ confi-
„ citur in Ægypto ex ſaccharo, Limonij
“ ſucco, moſcho, Ambaro & aqua roſa-
„ cea; lautè quempiam qui eos inviſit ex-
“ cepturi, primùm Cahué craterem po-
„ tandum offerunt, ſorbetum poſtea ac
„ tandem ſuffitum.

Eduardus Terry famoſus peregrinator Anglus ſermonem faciens de Religione Mogol, in relatione quam de itinere ſuo
„ ad Indias Orientales ſcripſit aſſerit, plu-
„ res quos vinũ potare Religio vetat, loco
„ ejus gaudere liquore quopiam, qui ſi
„ palato non ſapiat, ſaltem valde ad ſani-
„ tatem confert. Eum vocant *Cahué*, con-
„ fectum ex farina certi cujuſdam faba-
„ rum generis, eam in aqua decoquunt,
„ cui nonniſi parum ſaporis ſui impertit,
„ licèt maximè digeſtionem juvet, ſpiritus
„ excitet, ſanguinémque expurget.

Duloir in itinerariô ſuô Orientali, diſſerens de more Turcarum in obeundis viſitationibus, refert, ubi cõſederint, herum acerram odorariam amicum prope poni curare, & ne ſuffimenti fumus evaneſcat, duos ex famulis caput amici ſtragulâ

tegere:

tegere, tandem ſuper Hypocrateram ligneam foliis, more Perſarum, depi-ctam, capacem calicem, plenum ſorbeto offerre, deinde in cratere non ita capaci *Cahué*, potionem nempe ſubflavam, quæ nomen ſimul & colorem habet à grano quodam ex Ægypto allato in aqua de-coĉto; potio hæc, inquit is, nullius utili-tatis erit, niſi calida potetur; adeo ut vix primoribus labiis, nec niſi repetitis vici-bus deguſtari queat. Sapor ejus fumum quidem redolet, at illius in ſtomacho ef-fectus experiuntur mirabiles, & vapores ad cerebrum aſcendentes deprimit.

Tædio afficerem lectores, ſi ſingula quæ hodierni peregrinatores referunt adjungerem; finem facient quæ profert Dominus *De Bourges* in itinerario Epiſ-copi Berytenſis ad Gochinchinam, inter incommoda caravanæ in deſerto ſuſti-nenda, notat aquarum raritatem, quas cùm invenerint maximam partem ſunt Infectæ, hac de re ſic loquens pagina *40.* & 41.

Cùm aqua quæ occurrit ſæpe ſit vi- «
tiata Turcę ut adverſus incommoda «
quæ evenirent præmuniant ſtomachum, «
potionem ſumunt quam dicunt *Café*, «
quæque jam in quibuſdam Europæ lo- «

cis uſu venire cæpit, conficitur ex parvis fabis, in Arabia Mekam propè productis, tantâ copia ut illinc per totam Aſiam & in omnes ferè locos quos incolunt Mahometani transferantur. Hanc ſumunt vini loco, cujus valde æmulatur effectus, quippe quæ virtute pollet ſtomachum corroborandi, digeſtionem promovendi, inſuper capitis vapores expurgandi, fabas illas in ſartagine torrefactas, in mortario in pulverê reducũt & poſtquam furfur cribrum ſubiit, farinam iſtam nigram & ſemiuſtam ſpatio *Miſerere* in aqua decoquunt, deinde quâ poſſunt calidiorem epotant. Quamvis liquor iſte guſtui non abblandiatur, ſed potius amarus ſit, nihilominus ob ipſius tot & tantos effectus maximi facere non deſinunt; id quod Dei providentiam prodit. Cui quippe regiones quaſlibet, omnibus homini neceſſariis ditare curæ eſt, nec dubitare fas eſt quin in aliis regionibus plantas æqualis virtutis reperire detur.

CAP. IX.

CAP. IX.

De effectis Café, imprimis ad ſtomachi affectus.

PRimùm quidem obſervo potum hunc licet ſatis calidum, modo debitè ſit præparatum nec palatum adurere, nec aquæ inſtar eodem caloris gradu aſſumptæ, linguam lædere, quod fortè ita accidit, quia decoctio ſubtiliſſima iſtius pulveris parte permiſta eſt, ſicque ejus actio aliquantulum præpedita, non tam facile atque aqua penetrare queat.

Metuerent forte mulieres pulchritudinis & elegantiæ ſuæ ſtudioſæ, ne nimius potus iſtius calor ſuos deformaret denigraretque dentes; at præterquam quod Orientales tantopere potu hoc gaudentes, dẽtes quàm cæteri populi non habent nigriores; ipſum Café magma diligenter adhibitum priſtinam dentibus munditiem reſtituit, quemadmodum & de tabaco ſuperſtes cinis albedinem, etiamſi fumus nigredinem dentibus inducat.

Notabilis maximè hujus potionis effectus editur in ſtomacho; indubium quippe eſt, mirum in modum coctionem quæ

ibi peragitur adjuvare; à multis etiam populis & Aſiaticis & Africanis, imò & quibuſdam Europeis, quibus lex Mahometana uſu vini interdicit, iſtius loco uſurpatur. Aſt quos in hiſce regionibus habemus plurimos vini amantes audio ſuſurrantes, Café admittendum tantum eſſe ut vino ſubſtitueretur, verùm cum vitibus & uvis ſatis ſuperque terræ noſtræ abundent ecquid illius potionis peregrinæ, quæ nec vel tantùm prodeſt.

Reſpondeo, certis caſibus Café vino eſſe præferendum, quemadmodum certis quoque caſibus illud iſti longo intervallo cedit. Quamplurimi ſunt cujuſque ſexus & ætatis abſtemii, quibus Café nonniſi utile eſſe poteſt; quotquot itidem febri aliqua, aut Cephalalgiâ aliâque invaletudine laborant, vinum non niſi noxium eſſe poteſt, cùm è contra Café valde ipſis ſit ſalutiferum.

In ſtomachis calidis & muſto plenis, certa quædam diſtillatio artificiali ſimilis peragitur. Spiritus ſubito ſeparatur, in venas repit incitato motu, ſanguinem agitat, cerebrique membranas lædit; quod reſiduum manet in ſtomacho eſt aut acetoſum quid aut tartarum vini, plegmate diſſolutum quod tartarum ſi in

inteſtina

inteſtina deportetur colicæ; ſi in renes, calculi; ſi in articulos, podagræ, cauſa eſt. Horum nihil Café cauſatur. Illius ſpirituoſę partes non adeo inflammabiles ſunt; nullum ineſt ei acidum, quod ejuſmodi incommoda poſt ſe trahat: adeò ut quâlibet quantitate aſſumatur nullum capiti dolorem inferat, non inebriet, non calculum aut podagram gignat, prout in iis quæ ſequentur id monſtrabo. Itaque non eſt quòd inficientur, multis in locis Café vino longè utilius eſſe. Nec ſilentio præterire poſſum, quod ſententiam meam ratam facit, Café nempe extemplo ſolvere ebrietatem, eorum ſaltem qui vinò planè merſi non ſunt. (a)

Cujus rei en exemplum, unus ex familiaribus meis largiter aliquando vino indulſerat, & ne quid jocis deeſſet, chartis ludebat, ſtatim vini fumo obtenebratis oculis adverſario impar erat, quòd cùm

[a] *Quod ſolvat ebrietatem potus Café, partim calori ipſius actuali imputandum partim ex copioſo ſuo ſale volatili; ex noſtro patet artificio. Salia etenim volatilia ebrietati arcendæ non parum conducere pluries experti ſumus, dummodo de papaverinorum aliorumque id genus natura non participent.*

animadvertiſſem ipſum in aliam cameram adduxi & Café craterem potandum dedi; quô hauſtô ea animi ac oculorum libertate quâ jejunus luſit. Eô ſaltem nomine vini potoribus gratum eſſe debet. Ita aliquando in Anglia publicæ tabernæ Café quarum ibi ſupra fidem erat numerus, pro politica ratione omnes prohibitæ ſunt, vini verò popinæ nequaquam, quia nempe in prioribus ſedate nimis de regni rationibus per potionem colloqui licebat, quod per turbulentos vini fumos non licet.

Café ergo primam coctionem mirabiliter juvat, omnemque ab ea perturbationem avertit. Primam coctionem appellant Medici, quæ perficitur in ſtomacho per mutationem Alimentorũ in ſubſtantiam albicantem & liquidam quæ dicitur chilus: qui ſi, ut par eſt, coctus & fermentatus ſit, nec ulla intemperie, aut inteſtinorum & primarum viarum obſtructionibus alteratur, laudabilis ſanguis fit, per quem corporis partes creſcunt, nutriuntur & integræ manent; & hoc ſecunda & tertia coctio nuncupatur, quæ perinde meliùs ſe habere debent.

Adde, qu d Café, ut jam diximus

à duabus

duabus ſubſtantiis una ſubtili & volatili, altera terreſtri conſtet ; ſubtilique nimiam fermenti ſtomachi aciditatem obtundat & chilum, quemadmodum ſal volatile, omne acidum, delinit & mitigat. Pars terreſtris verò deterſiva eſt & tantillùm adſtringens ſicque ſtomacho amica. Hujus quippe fermentum roborat qualitate ſua deterſivâ, tartareasque fæces in eo & tenuibus inteſtinis contentas expurgat, ſuâque ſiccitate partium ſuperfluas humiditates abſumit. Præterquam quòd acidas cruditates quæ in primis viis interdum fluctuant ſuo A.k.ili abſorbet. Nulli omnino corruptioni obnoxium eſt; coagulationes morborum vulgatiſſimas cauſas fortiter impedit : & hinc tranſpirationem inſenſilem, ſanitatis conſervatricem, admodum juvat. Jam, quia Medicina experientiam ratiociniis attexere debet, quam plurima referrem exempla hominum quibus Café ſtomachi invaletudines levavit, at unum generale & demonſtrativum allegare ſufficiet. Turcæ, licèt non niſi aquam potent, leguminibus, cibis lacteis & fructibus gaudeant magis quàm carnibus, veſcantur pane azymo minùſque cocto, quod ſtomacho noxium maximè videtur,

rariſſimè tamen ejus affectibus laborant quod nonniſi huic potui debent. Licet enim potiones alias ut ſorbetum & Choſaf ex melle, uvis ſiccis & acido cedri confectum quandoque uſurpent, credibile tamen non eſt ejuſmodi potiones ſtomachi cruditatibus ex Alimentorum indigeſtione natis corrigendis idoneas eſſe. Adde quòd ſorbetum nonniſi æſtate, Café verò nullo non tempore ipſis in uſu ſit. Interim in Gallia etſi vinum ſatis generoſum potetur, nec nobis ut Orientalibus cibis ita crudis veſci accidat, mirum quantùm ſtomachi invaletudinibus & indigeſtionibus obnoxij ſimus. Café effectus mirabiles cernere erat in illuſtriſſimo Marchione de Crillon; qui cum diutino retentus fuiſſet morbo & illo durante, nimio limonatæ aliorùmque hujuſmodi potuum uſu tum ad ſitis æſtum extinguendum, tum oblectamenti gratiâ ſumptorum, tandem ſtomachum infrigidârat & omnium ciborum faſtidio laborabat, cum hocce potu, uti incepit; ſuperiùs & inferiùs excreti fuere glareæ viſcidæ & recoctæ globuli quâ ſtomachus gravabatur & ipſius pori per quos fermentum alimenta diſſoluturum ac eam partem vellicaturum influit, inter-

intercludebantur. Verum quidem eſt, perrarò Café vomitum ciere: ciet tamen aliquandò, fundô imprimis ſtomachi reliquis chili indigeſti & glareâ plenô; quia eas eliquat & extenuat, cùmque ex illis cruditatibus alimentum idoneum effici nequeat, ſtomachus lepore hujus potus excitatur ad ipſas expellendas. Aliàs potiùs vomitum ſiſtit qui ſæpe ab humore acido nimiſque corroſivo evenit quemque Café ſale ſuo volatili & partibus ſuis oleoſis obtundit.

Poſtquam demonſtratum eſt Café laudabilem procurare digeſtionem; concludendum venit ipſum quoque idoneum eſſe impediendæ generationi lumbricorum qui ex indigeſtione & cruditatibus in aliqua corporis cavitate ſtagnantibus naſcuntur: Conducit quoque corruptioni oppugnandæ, non ſecus ac alia amara & detergentia pharmaca.

Cap. X.

De ventris infimi, & mulierum morbis, quibus Café inſervit; de Calculo & Podagra.

Pituitam vitream, colicæ inteſtinorum cauſam frequentem, non ſecus ac

cruditates ſtomachi, fundere & reſolvere valet Fabæ noſtræ Arabiæ potus, ſicque etiam hepatis, lienis, pancreatiſque obſtructiones à viſcidis humoribus ortas feliciter reſerare. Huic intento uſurpant in Ægypto, teſte Proſpero Alpino, idque certius operatur quàm tinctura cichorij à cujus ſapore non admodum abludit. Veſlingius pariter aſſerit præſtantiſſimum eſſe cùm ſucci frigidi & craſſi inteſtina, vaſaque per totum corpus diſperſa obſtruunt: hicque effectus ita omni contradictione major eſt ut in cauſa ſit cur *Bunchum* Avicennæ, pro iſto *Bon* aut Café acceperint ob eximias quas ipſi tribuunt, vires. Hodierni omnes unanimiter conveniunt, ipſum inſignis utilitatis eſſe viris phlegmaticis, puelliſque Chloroſi laborantibus, quarum plurimas hæc ſola ſorbitio levat; quumque inſtituta ejus analyſi, ſale volatili abundare viderimus, non mirabimur ipſum prava ſanguinis fermenta emendare; ſanguinem ſuperflui homidi & glutinoſi conſumptione exſiccare humoreſque craſſiores attenuando, eorum expulſionem promovere. Hinc concludendum eſt idoneum quoque eſſe promovendis fæmi-

narum menſtruis, quod quidem experientia conſtat. Aſſeverant enim plurimi uteri obſtructiones tollere atque ſolitas mulierum evacuationes ſuppreſſas procurare. Frequenter in hunc finem mulieres Ægyptiæ & Arabicæ eô utuntur, præſentem fluxum facilitaturæ, aut earum excretionem promoturæ. Cæterum conjicere eſt, cùm morbis mulierum ortis ab iſta evacuatione minuta aut depravatâ inſerviat, aliis quoque hujus ſexus invaletudinibus avertendis præcipuèque vaporibus uterinis diſſipandis non eſſe ineptum. Celebris Medicus Santonenſis D. de la Cloſure literis ad Sponium noſtrum datis, teſtatur ſe frequenti experientiâ noſſe Café calidè ſumptum fluentibus catameniis alvi tormina patientibus magno eſſe ſubſidio, ſanguinem minùs acrem & magis fluidum reddendo. Addit etiam convenire mulieribus jam enixis citra ullum periculum ad vires reparandas totoque puerperij tempore ad crateres binos ſingulis diebus.

Plura circa hujus potus præſtantiam jam diximus, nec tamen adhuc ejus omnes qualitates celebravimus. Utiliſſimum quippe pariter reperiemus ad ſenes

expurgendos, ac ſero viam ſternendam. Præterea calorem naturalem ſuſcitat & fovet. Impeditas quaſcumque vias expedit & pertranſit, exaltat & mitigat viſcerum fermenta, illorumque perficit fermentationes, ſicque univerſam œconomiam naturalem ad ſummam perfectionis apicem perducit. Frequenti haud dubie illius uſui debent Turcæ, quòd ab omni hydrope ferè ſint tuti, hòcque morbi genus pene in Oriente ignoretur. Angli quoque ſcripto quodam decem circiter aut duodecim ab hinc annis Londini edito teſtantur hydropem ſicut & Podagram longè jam inter ipſos rariorem eſſe ex quo tempore Café ſæpius indulgent. Nec dubito quin ſi Noſtrates potatores à vino ad potionem iſtam averterent, infauſto huic morbo longè minus obnoxiij forent. a

Aſſerit Mollenbroccius Medicus Germanus in Tractatu de Podagra vaga Scorbutica, Danis, Suecis & Batavis quotidie in morbis hypocondriacis & ſcorbuticis Café utilitatem probari. Nec ſubit mirum

a *Multos vidimus podagricos ex uſu potus Café levatos, ac propterea in magno eſt apud noſtros uſu, pauco rhabarbaro ſalique prunella maritatus.*

mirum, morbi enim iſti cùm ab humoribus tartareis acidis & corroſivis originem trahant, ſimilibus præſidiis mitigentur neceſſe eſt. Idque ſuo ſale volatili præſtat, veluti alia antiſcorbutica cochlearia, Britannica, naſturtiùmque aquaticum.

Maxime inſuper commendat hunc potum facultas præſervandi à calculo ut Podagra, tum ſtomachi coctionem juvando, tum ſanguinem à ſuperfluis ſalibus, ſeróque expurgando Genevenſis quidam ad Dom. Gras hujus urbis Medicum literas exarabat, eo tempore quo *Café* innoteſcere cœperat. Nobilis quidam, inquit, nomine Dominus De Verace mei ferè temperamenti pinguis & πολύσαρκος frequentes jam ab ætate juvenili ad ſexageſimam uſque Podagræ paſſus inſultus, utitur jam ab annis quatuor parvo quodam grano nigro ex India adportato nominato Café, quo mediante ab inſultibus hujus mali tutus exiſtit, licèt manus pedeſque jam habuerit tophis induratos. Prætendit iſtam decoctionem ſerum & ſuperfluos humores purgare; abdominoſus erat ſicuti & ego at totus iſto remedio minutus eſt. Conſulit mihi ut id uſurpa-

rem, prius conſilium tuum expeto.

En aliud non dedignandum exemplum. R. Pater Alexander de Albertas Auguſtinianus ſexageſimum quintum annum agens à quadrageſimo podagræ doloribus vehementer afflictus mirum in modum per duos annos ab iis potu hocce ſe ſublevatum mihi retulit. Alius hujus Civitatis incola, hoc morbo diu detentus ſolo hoc potu, tam fæliciter ſanitati ſuæ reddebatur, ut ſeptem jam abhinc annis, quod ex proprio ipſius ore teneo, ne minimum quidem præſentierit dolorē.

Aliis argumentorum ponderibus hæcce qualitas adſtrui poſſet, niſi penitus perſuaſus forem præfata huic veritati ſtabiliendæ ſufficere. Verùm adhuc id confirmant qui diu in Oriente degerunt, in iis nempe regionibus podagram & calculum rarò reperiri, quod nonniſi ex frequenti potionis iſtius uſu oriri poteſt, quæ tantum malis hiſce averruncandis inſervit. In hac qualitatum enarratione omiſere Autores ejus utilitatem in diarrhoeâ & dyſenteriâ ſiſtendâ. Dominus Eques Chardinus litteris ad me exaratis feliciter hoc in caſu in Oriente uſum fuiſſe narrat, ſeque aliquot calices forbendo pertinaci diarrhœâ fuiſſe curatum.

CAP.

CAP. XI.

De uſu Café in pectoris morbis; de lacte Cafeteo; & de efficacia Café ad febres ſanandas.

CUm tota maſſa ſanguinea Circulationis lege fluat per pulmones, impoſſibile eſt ipſos non labefactari ſi ſanguis ſit impurus, atque ideò ſi crudus aut nimium ſeroſus ſit, pectus non poteſt non gravari, tuſſis, aſthma & ſpirandi difficultas non oriri. Indubium itaque eſt, Café in his caſibus magno ſubſidio fore, Civitatis iſtius Medicus non incelebris ſe cum ſucceſſu quibuſdam ſputatoribus & Aſthmaticis præſcripſiſſe teſtatur. Alius Monſpelienſis Profeſſor certiorem me fecit mirabilis experientię cujus fuit teſtis circa ſuum concivem in ſuprema ſubſidiorum curia Conſiliarum. Hic ęgrotus excreare continuò cogebatur & interdum ob viſcoſitatem ſalivæ extrema agebat; at Café uſu convaluit, hoc enim mediante laudabilis chilus effectus eſt, quotidie mane aut ſtatim à prandio ſorbitionem aſſumens. Plures etiam concionatores vocis ſuæ

firmandę

firmandæ gratiâ eo uti cepére. Sic magni nominis prædicator in Italia, ſuggeſtum nunquam conſcendebat priuſquam craterem hauſiſſet, quia experientia edoctus nôrat potionem iſtam pectus dilatare, ſonoram vocem, fortes lumbos, ſanumque caput reddere ac ſtomachi fumos repellere. Alius, mihi retulit ſe concionaturum inopinato ſermonem oblitum fuiſſe, jàmque campanâ monente incipiendum fuiſſe. Præſto illi fuit Café qui memoriam redintegravit, eâ adhuc notabili circumſtantiâ ut quolibet hauſtu vapores qui cerebrum annubilabant ſenſim deprimi & cogitationibus quæ evanuerant locum cedere expertus ſit.

Certiſſimum quoque perhibeo pro thoracis morbis, lacte Cafetato de quo jam ſermo erit, benignius & efficacius nihil adhiberi poſſe. Primus ni fallor qui ſic uſurpavit, fuit Medicus Germanus nomine Neuhoſius qui hujus in legatione Batavorum ad Chinam quam edidit mentionem facit. Cum lacte decoquendũ curabat fabaceumque ſuum *juſculum* nuncupare ſolebat: in hoc forte Chinarum conſuetudinem reſpiciés, quibus ſolemne eſt, præbere, phtiſicis *Thé* cũ lacte illudque in delicias aſſumere D. Monin

Celebris

Celebris Medicus Gratianopolitanus aliquot abhinc annis Laç cafetatum miro cum ſucceſſu præbuit : quod ſuper hoc ad me reſcripſit nimij momenti eſt ut ſilentio præteream. Ipſiuſmet verba referam.

„ Ut ad ea quæ de lacte Cafetato ſcire „ peroptas faciam ſatis,ſcias velim,quin„ que aut ſex abhinc annis me in variis „ morbis quibus lac convenit præſcribe„ re aſſueviſſe & ſemper felicem habuiſ„ ſe exitum. Miraberis ſanè quod in „ ſtomacho non coaguletur, nec viſcera „ obſtruat , nec cerebrum afficiat , nec „ etiam mixto Café minùs acrimoniam „ humorum obtundat, fermentationem „ ſedet, tuſſim ſiſtat, nutriat & pingue„ faciat ægrotos , rationem habes in „ comperto , miſſa facio plura quæ de „ illo feci experimenta , dicam tamen „ primùm in me ipſo ſex abhinc annis „ rei periculum feciſſe. Hemicraniæ à „ natura obnoxius eram & propter viſ„ cerum fervorem lac nunquam ferre „ poteram. Sex ſeptimanis fæliciſſimo „ cum ſucceſſu ita correctum uſurpavi; „ ſæpiſſiméque imo noviſſimo adhuc „ menſe novembri proſperrime reiteravi. „ Sic conjugi meæ phthiſi laboranti , &

„ poſt pleuroperipneumoniam extrema
„ agenti illud aſſumendum prębui. Vehe-
„ menti iſtô morbô intra octiduum reme-
„ diis ordinariis ſedatô, tuſſis importuna,
„ pulmonum calor ſupererat, pulſúſque
„ celer cum atrophia univerſi corporis.
„ Hinc timens ne in phtiſim recideret
„ remediis catharticis & aperitivis (cùm
„ viſcera imprimis verò lien admo-
„ dum eſſent obſtructa) ad uſum la-
„ ctis aſinini ipſam præparavi. Integri
„ menſis ſpatio ſatis methodicè at ſine
„ ullo ſucceſſu eô utebatur, pulſu eodem
„ ſtante, tuſſi vehementi, cum ſputis ſub-
„ flavis & ſubviridibus copioſis. At
„ quum lac iſtud adhibitum nullius ei
„ utilitatis eſſe animadvertiſſem, lac vac-
„ cinum Cafeteum ei uſurpandum præ-
„ ſcripſi, cujus ſingulis quoque diebus
„ ſex hebdomadum ſpatio octodecim
„ circiter uncias aſſumpſit, ipſámque ſin-
„ gulis decem aut duodecim diebus
„ purgandam curavi. Uſu iſtius lactis
„ ita fuit levata, ut omnia quæ ante
„ narravi ſymptomata priitô octiduô
„ ceſſarint, viguerit appetitus, ac ſani ati
„ priſtinæ reddita, ita quidem ut collegæ
„ cujuſdam conjux quæ per menſem ip-
„ ſam non viderat, putaverit eam vultu
fuiſſe

„ fuiſſe ſubtumido , non verò pleno ac
„ ſano.

Ad hujuſce potus præparationem, ſartagunculæ immitto lactis ſcutellam quod cum igni ſuppoſito aſſurgere cœperit, Café quantitatem cochlearis ei admiſceo, & probè circumago, ne in globulos coaleſcat. Poſt levem ebullitionem ab igne remóveo brevi farinâ fundum petente, caſſonatæ cochlear admiſceo, ac diverſis hauſtibus ſorbillandum calidè præbeo. Poſtea quatuor horarum ſpatio cibo omni abſtinendum jubeo; quo facto prandium concedo. Doſis Café ſartagunculæ immiſſi trium drachmatum eſt: at ne aduratur diligenter cavendum ingrato alioquin ſapore lac imbueret.

Idem ea quæ ſequuntur ad me ſcripſit.

Quidam civitatis iſtius incola prænobilis quatuor abhinc annis vere novo & autumno Lac Cafeteum aſſumit, quod per totum annum robore & viribus ipſum præmunit, ita ut fungi queat laboribus quos nimia ipſius pietatis exercitia cauſantur; quódque mirum inde ſtomachi dolores ab aciditate oriundos non ampliùs perſentiſcat.

Perſpectâ Café Analyſi facile erit rationem

tionem reddere cur lactis coagulationem impediat, cùm enim ſale volatili abundet acidorum acumina non poteſt non obtundere quæ lac alioquin coagularent: equidem ſal Armoniacum cum lacte adjectô ſaccharo permixtum coagulationem impedit, at parum admodum, imò non ſufficit aliquando.

** Spiritus ſatis Armoniaci volatilis, aut ejuſdem flores, è ſale tartari aliiſve id genus ſublimati, coagulationem lactis abundè impediunt : At verò ipſum ſal armoniacum integrum, quippe acido ſalis communis onuſtum, eandem operationem non ita feliciter conficit, ut cuivis experimentum ſumenti patebit.*

Eadem ratione ſuprà laudatus D. de la Cloſure lac præbet aſſumendum cum aqua calcis, ad coagulationem impediendam, dyſſenteriiſque & ſtomachi morbis medendum, quod lac ſolum præſtare nequiret citra iſtud correctivum aut aliud ſimile.

** Aqua calcis multo abundat ſale alkalicô, unde non minùs bene mercurij ſublimati ſolutionem præcipitât, quàm ſal tartari aliaque ſimilia. Propterea côagulationi lactis impediendæ apprimè faciet, quæ tota ab acidis oritur, quorum vim obtundit.*

Addam

Addam de lacte Cafetato non ſemper neceſſe eſſe ut Café in lacte coquatur ne ſpiſſum nimis reddatur. Sed ſi cupias dilutiorem potum paretur cum aqua vulgari modo;indeque cum æquali aut majori parte lactis miſceatur; aut verò ante vel poſt lac aſſumatur, modo enim in ſtomacho miſceantur,quacunque ratione ſumantur parum refert. Novi nonnullos qui ſingulorum iſtorum modorum experimenta fecêre eoſque ſingulos non ineptos deprehendere: quilibet pro guſtu ſuo eliget. Ingrata nullatenus eſt hæc mixtio, Café imprimis in lacte fervefacto aliquantulúmque inpiſſato; tunc enim ſapori Chocolatæ accedit qui omnium guſtui arridet. Idem cum lacte aſinino aut caprino fieri poteſt. Imo & ægri, qui morbi causâ lac muliebre ſugere coguntur,ſi ejus aliquam coagulationem metuant, poſt ſuctionem, Café hauſtum ſumere poſſunt.

D. D'Apples Medicus Lauſanenſis ad amicum ſcribit potum hunc lactis Cafetati invaluiſſe apud eos pro podagricis, ex quo non minimum levamen percipiant.

* *Lac Cafetatum,non tantùm Podagricis potandum prabemus, ſed etiam iis omnibus*

nibus

nibus quibus levi acrimonia fluxiones generales vel particulares peperit. In Rheumatiſmis ſcilicet Catarrhis in fauces, pulmones, ac glandularum omnium capitis vicinias depluentibus. Imo in Hypochondriacis à Scorbuticis affectibus, ac alia inde enarratis variis Hæmorrhagiarum ſpeciebus, ſive per venas hæmorrhoidales, ſive alias quâcunque viâ factis.

Quantum ad vulgarem Café potum; prælaudatus Dominus Monin ait ſe proſpero ſucceſſu multis febricitantibus id præſcripſiſſe. Ipſum decoquit aliquando in aqua pimpinellæ exhibétque ſub finem paroxyſmi febrium intermittentium aut ſub finem exacerbationis febrium continuarum; tum ad vapores qui cephalalgiam gignunt diſſipandos; tum ad ſuperfluam ſalino-acrem lympham per renes expurgandam. Obſervat quoque durante febris æſtu hujus hauſtum, ſiti levandæ aptiorem eſſe quàm vulgaris ptiſana copiosè licèt aſſumpta; addit inſuper ſe initio febris quartanæ utiliſſimè præbuiſſe, calidè quantùm ægri ferre poterant, hincque animadvertiſſe, potiotionem vehementiſſimos & acerrimos rigores non ſolummodò mitigaſſe, ſed

integræ ſanitati febri detentos reſtituiſſe. Ita nobilis mulier Gratianopolitana, quartanaria & lienis tumore affecta, initiô paroxyſmi omne aliud quàm Café remedium admittere renuens : ſine ullo incommodo & ſine recidiva ſanabatur & jam ab annis ſex perfectiſſima fruitur ſanitate.

Ultimis hiſce diebus quidam amicus noſter aliquos febris tertianæ paroxyſmos à prava digeſtione ſtomachi ortos paſſus, bis vel ter aſſumpto Café ſanitati reſtitutus eſt. Et nominatus jam Dominus de la Cloſure ſcripſit ad Sponium Dominam de Lauſun, octuageſimum & ſecundum ætatis annum agentem, nec ita pridem à febri triplici quartana uſu Quinquinæ ſanitati reſtitutam, cùm Café poſtea uſa fuerit, juniorem quaſi factam, & ſine bacpli ut priùs ſolebat, auxilio incedere, quod Dominus de la Garde Medicus Nemauſenſis non incelebris cùm per quindecim dies magnô cibi laboraret faſtidiô, illicôque cibo aſſumpto dolore & acidis ructibus tentaretur, tandem duplici tertianâ correptus eſt, cujus paroxyſmi 14. aut 15. horas durabant ; & tantum abeſt

ut

ut purgantia ullo modo ipſum reſtituerint, ut quotieſcunque ſumeret majori dolore ſe affectum ſentiret, unde viribus exhauſtus purgationem imò & venæ ſectionem intermittere tenebatur. Depravatæ ſtomachi functioni corrigendæ unicè intentus, Café binos aut tres crateres tempore intermiſſionis hauriebat, primáque vice acceſſio febrilis minuta, túnque ſecunda planè ciulavit, abſque alio præſidio feliciſſimè perſanatus.

a *Nunquam effectus febrifugos potionis Café præparati nobis videre contigit, imò febres ſæpiſſimè in ejus maximô uſu enatas obſervavimus. Itaque, ut neque in his, febres à Café potu enatas opinamur, ita nec in illis, de quibus Auctor noſter, eas fugatas credimus. Nihil autem magis familiare quàm illa imputatio effectuum cauſis quæ in illos nullatenus concurrunt, ſeu ſophiſma illud à non cauſa pro cauſa. Ultimum ſcilicet quod aſſumptum fuit ſemper ejus quod continue enaſcitur fauſti aut infauſti cauſa cenſetur. Quàm bene autem videant Philoſophi.*

CAP. XII.

De utilitate Café in levandis Capitis doloribus; numque homines inſommes teneat?

CUm Café partibus duabus, craſsâ unâ & terreſtri, alterâ verò ſubtili & ſpirituosâ conſtet; ſciendum eſt partem illam ſpirituoſam, quum utpote ſulphuris & nitri multùm participem, nitro ſulphuream dixeris à ſpiritibus animalibus non valde diſſimilem eſſe; multas quoque ejuſmodi partes vinum continet, atque ita puræ non ſunt, nec cum is quæ ſpiritus animales componunt ita conformes; vinum quippe partibus heterogeneis multùm abundat quæ cum ejus ſpiritu ad caput facillime aſcendentes, functiones ejus non parum perturbant: cùm è contra Café ſpiritus puriores ſint minuſque diſſipabiles, ac capiti proinde levando idonei, conſtat enim frequenti experientia capitis dolores potum hunc citò ſublevare, quia vapores humoreſque acres ad cerebrum repentes effundit & diſſipat, novoſque oriri impedit. Imò ſunt qui ſolo calen-

tis potus fumo in caput recepto, dolores mitigari obſervarunt, quod parti ejus volatili dubio procul debetur.

(*Nihil eſt quod de ſale volatili in genere tam ſæpè, repetit Auctor; ſiquidem dantur Salia volatilia ſoporem ac capitis gravitatem inducentia, qualia è papaveribus, ſolanorum ac hyoſcyamorum genere &c. educimus. Ut & alia dantur tantà virulentià infectâ, ut in nares excepta promptè enecare valeant. Itaque ad vim ſpecificam ſalium in fructu Café innidulantium recurrendum veniet pro explicandâ vi quâ ſomnum ac vapores arcet, ſicque ſemper in qualitatibus veterum occultis detinebimur.*)

Cæterùm egomet crudeli hemicraniâ multos annos aliquando laborans cum venæſectionem, clyſteres, purgationem, diætam balneumque, nihil denique non tentaſſem doloris iſtius levandi causâ, omniaque hæc fruſtra, ad unicum tandem Café confugi, quô brevi dolor ita ſedatus, ut annis integris eo uſus liber fuerim; ſexcenti alii maximum inde ſolamen percipiunt, ii maximè qui non ob nimiam membranarum cerebri ſenſibilitatem, nec ob earum inflammationem, nec ob ſanguinis im-

impetum, cauſam malignam aut aliam quæ in partibus iſtis reſideat, ſed ob capitis cum ſtomacho aut inteſtinis ſympathiam dolore affliguntur. Excederet libri hujus moles ſi mihi nota referre ſtuderem exempla, unum ſufficiet.

Pariſiis Domina de Briére cephalalgiâ graviſſima, diu conflicta in caſſum multa tentaverat, in pejuſque ruens letho proxima videbatur. Aſſidentes Medici Chirurgique extremum præſidium trepanum jam erant adhibituri cùm ecce familiaris quidam accedens offert remedium efficaciſſimum facile & nullius periculi. Eâ annuente, Café propinari juſſit, bis aut ter in die. Inde tridui ſpatio diminutum dolorem ſenſit, in dies ſomnus à plurimis jam menſibus fugatus rediit, ſimul & appetentia ciborum. Denique ante hebdomadas tres abſolutas, priſtinæ & perfectæ ſanitati reſtituta fuit.

Orientales hunc potum non modò levandis capitis doloribus idoneum arbitrantur, ſed experientiâ quoque ſunt perſuaſi fumum oculis receptum maximè favere iis qui oculorũ doloribus tenentur, aut quibus alioquin debilis eſt viſus acies

Quod in cauſa eſt cur plurimi cum *Fingeans* calidi Café ipſis offertur, antequam illud potent, oculis ſupponunt ejuſque vapores recipiunt; plurimi etiam tollendis aurium doloribus craterem ad fumum excipiendum auribus apponunt, indeque non minimô afficiuntur levamine.

Jam de hujuſce potus ad ſomnum avertendum facultate dicamus. Villis in ultimis & poſthumis ſuis operibus, de Café, Londini uſatiſſimo loquitur, & ſuas obſervationes Medicis præſcripturis neceſſarias proponit; illud remediis Nartoticis opponit, abſolutoque de his tractatu, de iſto quoque verba facit. Omnem ejus ſomni pellendi facultatem à certis quibuſdam partibus aduſtis dependere prætendit, quibus & naturâ & præparatione valde imprægnatur. Quæ partes operari dicit poſtquam maſſam ſanguinis intrârint; ita ut poros cerebri teneant apertos liberumque ſpiritibus tranſitum ſternant. Celebris hujus Medici multorumque aliorum Medicinam profitentium experimentis ſuffulti credimus potum hunc Maſſam ſanguineam, humidum nimis & glutinoſum abſumendo exſiccare, ſpiritûſque animalis pro-

pro-

proventum accelerare; quò minùs enim ſanguinis maſſa materiâ glutinosâ & pingui abundant eò faciliùs partes ejus ſubtiliores emicant: quemadmodum ex liquoribus minus pinguibus & viſcidis aut quorum partes minùs confuſæ ſunt, faciliùs ſpiritus extrahitur. Sanè juxta Villis opinionem Café exſiccat, iiſque qui ſunt graciles aut temperamenti ſicci & calidi interdicitur; è contra cum ſucceſſu iis præſcribitur qui temperamento contrario ſunt Septentrionalibus & Aſiaticis, mollibus quippe & effæminatis, aut vino alioquin abſtinentibus non parùm conducit.

Sunt qui credunt, Café reapſe ſomnum præter naturam fugare hincque omnibus morbis lethargicis medendis idoneum eſſe; non verò impedire ſomnum naturalem: reperire enim eſt homines qui ejus uſu pervigilium curârunt, inter quos Dominus Ferrant Medicorum Lemovicenſium Decanus qui morbo quodam detentus, ſomno frui nequibat, ſingulis veſperis Café hauſtu ſomnum ſibi procurabat. Hic nihilominus effectus ordinarius non eſt, multique non malè ſe habentes aſſumptô poſt cænam Café ad ſomnum vix ſeſe componunt,

vigilaturi aptum valde deprehendunt, ſpirituum ſcilicet quos vigilia diſſipat reparatione. Probabile ulterius eſt calorem quocum ſumitur actualem, ejuſque acrimoniam, nimium ſpiſſis chili fumis diſſipandis non parum idoneum eſſe, ejuſque particulas diureticas magnam humiditatis, procurando ſomno neceſſariæ, partem per urinas abripere.

Hæcce facultas ſpiritus excitandi & ſoporem impediendi, futilem Petri della Valle opinionem eſſe demonſtrat. Credebat celebris iſte Peregrinator ſi cum vino potaretur ut aſſumitur cum aqua, eſſe forſam Homeri Nepenthe quod Helenam ex Ægypto habuiſſe dicit, unde etiam Café origo eſt. Verum cuinam hujuſce cum vino permixtio arrideret? Deinde, præſupponit Homerus Nepenthe herbam eſſe Narcoticam, hoc eſt, quæ ſomnum promoveat, cùm tamen Café, ſomnum fuget, eumque magis adhuc fugaturus ſit, ſi vini acuminibus eſſet ſtipatu.

C AP.

CAP. XIII.

De temperamentis & morbis quibus Café minùs idoneum eſt.

PRæſtantiſſima remedia, aliquando evadunt noxia inconſultò adhibita aut temperamentis eorum qui iis utuntur minimè convenientia; ita in aliquibus caſibus aut ſubjectis Café potus inutilis & minime idoneus eſt. Hinc ſi quidam ex ejus uſu commoda non percipiunt, qualitates attributas ipſi deeſſe ne exiſtiment. Plantæ non ejuſdem omnibus ſunt efficaciæ. Quod adeo verum eſt, ut nôrim multos, quos Manna conſtipat alioſque quos Sena in ſyncopem præcipitat, licèt vulgò purgantia ſint benigniſſima. Si qui ſint ergo quibus Café nocet, illud ne propterea vituperent. Fuit in culpa temperamenti ſui ignoratio, & omiſſa periti alicujus Medici conſultatio. Amicus quidam noſter qui diu in Oriente peregrinatus eſt, huic potui aſſueſcere neſcivit, nec unquam aſſumit, quin vomitum vehementem excitet: quod invictè probat ſtomacho æq; ac cordi ſuas eſſe Antipathias.

[*Multos novimus in quibus potus Ca-*

ſe ex aqua præparatus vertigines, alios in quibus nephritidis quandam ſpeciem excitavit, dum ſcil. in illis ſpiritus per ſe jam nimium acres atque mobiles reperiebat quibus ulteriùs excitandis malè laboratur. In his verò ſerum plùs juſto ſalinis ſpiculis prægnans per urinæ vias copioſius deturbavit.]

Ad dignoſcendum igitur caſus quibus Café periculoſum & incommodum eſſe poſſet: conſiderandi ſunt ii, in quibus Cafè utilitatem commendavimus, indeque concludendum, corpori in ſtatu & temperamento oppoſito conſtituto non niſi noxium eſſe poſſe. Sicque quum temperamentis pituitoſis, ſtomachis debilibus lente digeſtionem perficientibus, obſtructionibus, humoribus glutinoſis valde ſit conducibile, ergo bilioſis, ſtomachis juſtò celerius digerentibus nimiumque calidis, iis quibus vaſa ſanguine ſubtili rapidiuſque circulante ſunt repleta, non niſi noxium eſt. Quibus tuſſis & ſputum frequens à venarum arteriarumque anaſtomoſi vel diapedeſi aut ſubtili aeriorique ſanguine originem trahens, minimè etiam convenire videtur.

In genere minùs conducit Macilentis quàm obeſis ſaltem ſi à ſanguine fervidiori

ori macies oriatur, qui nimis fluidus, juſtoque rapidius circulans in partibus ad ſuppeditandum iis alimentum detineri ſatis nequit. Etenim ſi macies oriatur ex eo quòd ſtomachus functiones ſuas non ut par eſt obeat; ſive quod in inteſtinis lateant obſtructiones, quæ ſanguinis purificationem impediant, iis conducit Café eoſque pinguefaci·. [*Omnibus propè convenit temperamentis Café è lacte præparatum, ſed præcipuè macilentis aliiſque ex humorum acrimonia, quarulâ valetudine utentibus. At doſis, tum lactis, tum Café, varianda venit in diverſis temperamentis aliæque hic, aliæ illic cautiones adhibendæ, quæ prudentem Medicum operationumque hujuſce potus, ac temperamenti ſui ægri, bene gnarum, omnino requirunt.*) Hinc videre eſt in vanum abire quæſtionem illam: Café an ſaginet an verò emaciet? ut expediam eos qui quæſtionem hanc abſolutè ita mihi proponunt reſpondere ſoleo, quod pingues emaciet & macilentos pinguefaciat. Hoc veriſſimum perſæpe ſeſe probat, at imprimis dependet id à modo illud aſſumendi; jejuno enim aſſumptum ſtomacho magis quàm à paſtû emaciat. Temperamentum principem in hiſce regu-

lam eſſe oportet. Super hoc notaſſe juvabit cum peregrinatoribus, in Turcia ubi Mahometani Græcique eaſdem incolunt urbes & pagos & diverſis potionibus utentes, Turcas Café ut & Sorbeto, & Boza potu ex Milio confecto gaudentes, omni vero vini uſu abſtinentes, homines eſſe pingues & carnoſos, in ſanitate bene diſpoſitos, vigore præditos nec tamen abdomine prominulo incedentes, è contra verò Græcos qui Café negligunt, generoſum & purum vinum epotant, viniqueſpiritum, macilentos, ſiccos, vultu ſubflavô, bilioſos eſſe & animô iracundô.

Ii quibus ſanguis eſt nimis abundans nimiſque ſubtilis Café abſtinent in morbis pectoris; ne videlicet ſanguinem ulterius adhuc volatiliſent & ipſum in pulmones effundant. In hac urbe vidimus nobiliſſimum Virum ita effectum & reſpirandi difficultate laborantem, qui potu Café ſe levatum iri putavit, at contra ab ejus uſu peripneumoniâ prehenſus paucis diebus animam exhalavit. Phtiſici quoque confirmati præpoſtero ejus uſu obitum ſuum mutuurarunt. [*Hoc nos nunquam vidimus in Phthiſicis qui Café è ſatio potârunt.*] Ex quibus omnibus videre

dere eſt, non niſi adhibitis cautelis Café remedii loco eſſe uſurpandum : conſulendique ſunt, qui iiſdem morbis detenti ſanitati fuere reſtituti, aut aliquis Medicinæ peritus.

Verbò, conſiderandum eſt liquores corpus noſtrum pervadentes machinamque noſtram Elaſticum in motum redigentes, duobus modis oppoſitis eſſe corruptibiles; aut enim nimis inſpiſſati ſunt, aut nimis ſubtiliſati; in priori caſu niſi aliud obſtet Café perutile erit, at in poſteriori peſſimum, niſi malignum aliquod fermentum rarefactionem nimiam fermentationis ope producens oppugnet.

Jam tempus eſt examinare ſententiam Simonis Pauli fabam iſtam rejicientis, quoniam inquit ejus uſus homines enervat generationique ineptos reddit. Errorem hauſit ex hiſtoria particulari ab Oleario Legationis à Duce Holſatiæ in Moſcoviam & Perſiam miſſæ Secretario relata. Is enim de Perſis ſermonem faciens eos *Cahna* (quod noſtrum Café eſt) aut aquam nigram potare ſolitos ait paratam ex fructu quodam ab Ægypto allato, qui colore frumentum refert, ſapit granum Turcicum, æquatq; magnitudine vulgarem fabam. In ſartagine torrefa-

ctum aut potius aduſtum in pulverem redigunt & in aqua coquunt, unde aduſtum ſapit nec faucibus admodum gratum eſt. Utuntur iſto potu ad moderandum calorem naturalem, virtutemque generandi minuendam, ut pote qui multis ſe nolunt liberis oneratos, quemadmodum id ipſi fatebantur à Medico noſtro ejuſmodi remedia ſæpiſſime rogantes.

Ferunt etiam, *pergit Olearius,* nimium Cahué uſum viros procreandis liberis plane reddere inhabiles; hinc de quodam ipſorum Rege nominato *Sultano Mahomet Kaſuïn* ante Tamerlanem rerum potiente referunt, eum potioni iſti ita fuiſſe aſſuetum, ut ingentem uxoris conceperit averſationem: quæ quum equum aliquando caſtrandum vidiſſet, rationemque hujus rei ſciſcitata, reſponſum accepiſſet, præſtari id ad minuendum equo vigorem quo nimium pollebat, reſpondit tantâ vi non opus eſſe hac de cauſa, ac Café exhiberetur ſolummodo cujus ſorbitione æquè ac maritus ipſius, evaſurus eſſet frigidus.

Huic innixus relationi Simon Pauli in tractatu de Abuſu Tabaci & Thé an-

ſam

ſam contra Café declamandi capit, quòd nimirum nimiâ partium ſulphurearum abundantiâ principia generationis enecet. At auſim aſſerere cum bona ipſius venia aliorumque ſententiam ejus amplectentium, parum ipſis naturam hujus grani notam eſſe & licèt in ipſius abuſu maligna hæc deprehenderetur qualitas, quod tamen non eſt, minime ad Garamantas & Indos amandandum eſſe. Vini effectus quis ignorat multò pejores, Paralyſim puta, hydropem, Apoplexiam, mortem imò ipſam; nec tamen fronte ita ſeverô extitit ullus qui extra naturæ fines illud exterminandum cenſuerit.

Verum quidem eſt Café ſulphure admodum abundare, at in ipſius torrefactione ignis non ſatis eſt vehemens, ut illum ab aliis principiis extricet. Patet enim Analyſi, illud continuato igne nonniſi poſt ſpiritum exire: hinc quidquid eſt ſulphurei aut butyroſi in magmate ſepultum jacet; Tum ſuppone ſi libet, ſimul cum Café multas aſſumi partes ſulphureas, ſulphur iſtud proprio ſuo flegmati, magmati, & aquæ in qua diluitur implicitum, omnino ſpiritibus animalibus & prolificis erit proportionatum, quorum nec motum irregularem ciet,

nec eos diſſipat, quod tamen præſtat vinum cujus quippe ſulphur agitatius eſt, inflammabilius, & à phlegmate ſuo & aqua cui miſcetur ſeparatu facilius.

At quid juvat afferre ratiocinia ex ipſius Medicinæ penu deprompta, cùm ad debellandam Simonis Pauli ejuſque Patronorum de Café ſententiam ſatis ſuperque ſufficiat quotidiana experientia? in quo enim mundi angulo quàm in Turcia Café magis uſurpatur? nec tamen malignos illos qui ei tribuuntur effectus ibi repeciunt, imo ècontra regiones, ubi maximè in uſu, qualis Ægyptus & ipſius Metropolis magnum Caire omnium videas populoſiſſimas. Unde fit etiam, ut ſolus Oleatius rei conſideratu ita dignæ mentionem fecerit, Figueroam verò Hiſpaniarum Regis ad Schach Abbas Regem Perſarum legatum ante Olearium integris annis in Hiſpahan commoratum alto id premat ſilentio? qui quidquid rari ibi concurriſſet diligentiſſime adnotans in itineris ſui quam in lucem edidit relatione pagina 307. hæc de Café verba facit: *Cahua utuntur Perſæ, tum ſanitatis gratia, tum deliciis indulgendo, illudque ſtomacho admodum conducibile*

ribile autumant. Si Perſæ, ut Olearius contendit, rei ita univerſaliter novæ experientia forent convicti, ad quid Auctor iſte ubi Café qualitates deprædicat iſtam ſileret; quo pacto etiam Dominus Tavernier modernus ac ſedulus peregrinator rem tanti momenti ignoravit ut ne verbulum quidem fecerit. Superſedeo aliis allegandis argumentis, quæ convincerent Olearium gratis id loquutum fuiſſe. [*Propria experientia contrarium illius quod Olearius affert omnino evincit, nam audivimus plures de eo conquerentes quòd ex uſu Café ad veneream palæſtram frequentiùs excitarentur. Quod minime nobis mirum viſum eſt in liquore ſpiritibus ſuſcitandis quàm maximè aptô; Imò credimus quod ſi aliquando penis flacciditatem inducat Café, is effectus ipſi magis non ſit familiaris, quàm ſoporis in certis quibuſdam temperamentis inductio. Scilicet id non tam à naturâ ſimplicis epoti, quàm à peculiari ſubjecti epotantis conſtitutione prorſus dependet.*] Addam tamen omni exceptione majorem teſtem peritum Medicum ac Philoſophum Dominum Bernier ſat diu in Perſia com-

commoratum qui de maligna iſta Café qualitate ſparſos rumores in Perſia audivit nuſquam, cùm tamen in Epiſtola cujus jamjam copiam dabo, aſſerat Café in plaga Perſiæ maritima & magis adhuc in continenti vix cognitum eſſe. Unde concludo vanam ac futilem eſſe de hujus fabæ prava, ac veluti deleteria qualitate opinionem, quòd ſcilicèt viros enervet & infœcundos reddat. Et hîc Tractatui noſtro de Café potu, finis eſto.

EPISTOLA

Domini Bernier.

SCribo ad te Patrone & amice cariſſime ſiquidem ita juſſeris, quidquid circa Café aut ipſius natale ſolum didici. In parvo mundi angulo *Yeman* nempe, aut Arabia felici progerminat. E montibus iſtius regionis Mokam, Louhaïam alioſque portus plagæ maris rubri adjacentes deportatum Cymbulis Geddam aut Zeydem ferendum imponitur. Is par-

parvus eſt portus maris Arabiæ petreæ in provinciâ Chariſſi Mekæ, ſeptem aut octo inde leucas diſtantis. Arabes multum camelis impoſitum Mekam transferunt in tempore nundinarum quæ ſunt veluti Mahometanorum Paſcha, venale exponendum. Hincque magnæ illæ & diverſæ caravanæ quæ inibi locorum ſunt revertentes in patriam ſuam non parum ſecum afferunt; maxima tamen pars Geddâ in littoralem urbem *Suez* ad capud maris rubri viginti circiter duas leucas Caïro diſſitam duabus triremibus & ſeptem vel octo navibus Ægyptiis impoſita defertur. Poſtea *Caravana Suez* Caïrum tranſvehit, unde in omnem Turciam aliorſumque Maſſiliam uſque diſpergitur.

Nunc uſu Café in Europa etiam vigente, Angli & Batavi ab India Orientali Mokam per mare rubrum advecti magnam quantitatem navibus ſuis imponunt.

Inter Indos Perſaſque exigui prorſus uſus eſt, portus maris vix tranſit, neque in continentem niſi parum admodum advehitur, at ut jamjam dixi per integram Turciam latiſſimè uſurpatur, Turcæque ſingulis mane & Veſperi, imo & totâ die

aut

aut in ædibus privatis, aut locis publicis ad id deſtinatis ſorbillare ſolent. Apud omnes enim urbanitatis Studioſos *Ibrik* aut *Cucuma* cuprea in qua Café decoquitur ab igne nunquam ſemovetur, deeſſeque officio reputaretur qui in honeſto congreſſu Café non offerret.

Per integrum quô in Ægyptô agebam ſeſqui annum potionem iſtam averſabar, at cùm quinque vel ſex hebdomadis in partibus Arabiæ fœlicis *Louhaia* nempe & *Moka* verſarer, mirifice ea arridebat, & ſine Sacchato, Turcarum more ſingulis diebus quinque aut ſex crateres hauriebam. Indubium autem eſt, illud ibi longè quàm in locis aliis remotioribus præſtantius eſſe, cùm ibi ſit recentius. Eadem enim res agitur cum hac faba ſicut cum noſtratibus amygdalis aut vulgaribus fabis quæ ſi aſſerventur multum de ſapore ſuo amittunt, ſiccantur & evaporantur. Hæc quoque ratio eſt cur Turcæ id contuſum ſacculo coriaceo probè incluſum conſervent.

Sitne ſpecies quædam fabæ quotannis noſtratum fabarum inſtar ſeminandæ aut fruticis cujuſdam fructus dicere nequeo. Certus ſum tamen Volvuli cujuſdam

juſdam ſpeciem eſſe plantatum quippe juxta *Mouzén* ei innititur & adhæret: *Mouzé* autem eſt Ficus Adami,ita Luſitanis dicta, ob folia ejus ſemi-orgyam interdum longa nec minùs adhuc lata.

Jam ſuprà Auctor noſter dixit ſe ex aliquo habere fructum Café è planta enaſci herbacea noſtris ſabis non abſimili ; Hicque rurſus D. Bernier quod è plantula enaſcatur aſſerens, circa ejus tantum genus in diverſum abit; Scilicet non ad fabas, ſed ad volvulos illam refert. Verùm quandoquidem quod hic affert non vidit, præſtat cum aliis omnibus Auctoribus ex arbuſcula hunc fructum repetere : Nam quod de ejus natalibus è grandiori arbore deducendis habet D. Dale in ſua ad Materiam medicam introductione, neſcio cui docenti debeatur, ſiquidem nihil tale apud alios qui de hac planta ſcribant reperiatur; quod ſcilicet Café arbor ſit prægrandis inſtar Tiliæ, floſculos habens pentapetaleos, fructus baccis lauri ſimiles.]]

Quantum ad proprietates ejus dicebam aliquando in Ægyptô eôdem modô rem cum Café ſe habere ac cum Tabacô,

non

nonniſi inanem eſſe Turcarum occupationem. Ii enim ſicut & noſtrates qui in illis regionibus agunt Mercatores maximam temporis partem otioſi, bis vel ter per diem confabulationis gratiâ publicos frequentant *Bazars* & *Cachue Kanê*, Tabacum & Café ſumpturi. Illud verò adeò ibi exigui eſt pretii, ut vix uno obolô plùs ſolvatur crater. Cùm ei aſſuefactus fui deprehendi; primo illud nutritioni multum inſervire, & ita ut iter facturo aſſumptus mane crater ſufficiat ad ſeptem aut octo horas jejunium ferendum. Quô fit ut nec curſorem nec militem reperias parvo ſuo Cafetario non inſtructum, Secundò quòd expergefaciat, exhilaret, multumque corroboret, quòd vapores retundat, capitiſque dolori, torpori & ſtupori avertendis non parum conducat. Tertiò quod iis qui temperamenti ſunt frigidi & phlegmatici, quales plerique ſunt Turcæ parum cibi ſumentes, neque ordinario vino utentes meliùs conveniat quàm Macilentis & iis qui temperamenti ſunt calidi. Licèt enim & iſtis aliquando utile ſit, cùm tamen ſit adſtringens & ſiccum, præſertim ſi in nimium uſum convertatur, calefacit, tandemque non parum nocet.

Hoc

Hoc penè eſt quidquid de Caféteneo, nec enim illud nobilibus iis quas novitas potiùs quàm veritas & experientia ei tribuit qualitatibus pollere crederim. In illo non deprehendes Quinquina mirificum illud febrifugum, divinum remedium, ab ipſo Hippocrate, ſi id noviſſet adorandum. Nemo enim veterum aſſerere poterat quod nos impræſentiarum audemus, cum hoc cortice, ægrotum nempe poſt tres aut quatuor illius remedii hauſtus certò febri liberatum iri. Oblitus pene eram tibi ſuperaddere; ſingulari quodam ſtudio Café eſſe torrefaciendum. Recordor enim eo quò Caire egi tempore, non niſi duos illîc viros torrefaciendi peritos fuiſſe. Quòd ſi iſthæc olim tibi cordi fuiſſe divinaſſem, majori diligentiâ & curâ fuiſſem indagatus, Id velim ſis certus, ut & mei in te ſtudii, cultuſque. Vale,

Finis Tractatus de Potu Café.

TRA-

TRACTATUS
DE
CHINENSIUM THE'


CAP. I.

De natura Thé, de nomine ejus, locis è quibus affertur & uſus ejus antiquitate.

PERLUSTRATA natura Café, Chinenſium *Thé* nunc aggredimur, intra iſta enim non minima eſt convenientia. Ut Arabiæ Café, ita Chinæ Thè debemus; ejuſdem ſunt amaritudinis; eodem penè tempore Europæis innotuerunt, ambo calidè aſſumuntur, experientiaque ac diverſa Auctorum ſcripta eadem fetè effectus iis tri-



Chinensis cum olla cui incoquuntur folia The



tribuunt. Notabilis tamen hæc inter ea intercedit differentia, quod Café granum, Thé verò folium ſit. Pari utar methodo in ejus natura & facultatibus exponendis. Thé verò folium eſt in China & Japona naſcens: Chinenſibus *Thée* dicitur, Japonenſibus ut & Indis *Cha* aut *Tcha*, Tartaris ac Perſis *Tay* vel *Tzay*, Europæis denique *Thé*. In Aſiam & Europam ferendum ſiccatur. Frutex folia hæc ferens, cujus figuram ab initio hujus Tractatus cernere eſt, ita leviter à Botanicis cognitus eſt ut prudentiæ interſit docere quæ à peregrinatoribus noſtris habentur antequam opinionem meam proferam.

Author libri illius cui titulus eſt *Legatio Provinciarum Confœderatarum ad Chinarum Imperatorem*, excuſi Lugduni Batavorum anno 1675. in hujus Imperii quam exhibet deſcriptione loquens de Thé pagina 74. in hæc erumpit. Præſtantiſſima folia *Cha & Thé* reperire « eſt in regione *Kiangnon* & quidem pro- « pe urbem Hæicheu. Alii Hocicheu vo- « cant. Folium iſtud parvum eſt neç dif- « fert à Coriariorum Sumach, cujus quo- « que ſpeciem aliquam eſſe crediderim; « nec tamen ſylvaticum eſt, ſed domeſti- «

cum

cum & diligenter excultum; neque "
etiam arbor ſed frutex in jucundos lux "
urians ramuſculos. Flos ejus flori Su- "
mach multum ſimilis, niſi quòd Coloris "
ſit magis flavi. Tempore æſtivo primum "
tradit florem non admodum fragran- "
tem. Baccæ verò primò coloris viridis "
fiunt ſubnigræ; rami floribus veſtiuntur "
albis & flavis de ſummo ad imum den- "
ticulatis & aculeatis. "

Ad conficiendam potionem ex Cha "
Indis tanti æſtimatam, prius ſolum quod "
vere novô naſcitur folium requiritur "
quod mollius quoque eſt. Unum poſt "
alterum & ſeparatim id collectum par- "
vo & lento in cucuma igni apponunt "
ſubtilique culcitræ ex tela goſſipina te- "
nui & lævi manibus convolvunt ita in- "
volutum igni de novo apponunt, alte- "
raque vice fricant uſquedum tantopere "
involutum & conglomeratum plane; "
tandem ſiccum evadat, quo facto maxi- "
mam partem vaſis ſtanneis bene obtu- "
ratis arctiſſime includunt, ne videlicet "
ſubſtantia & qualitates nimis ſubtiles "
evaneſcant; longo enim tempore aſſer- "
vatum, ſi aquæ injiciatur priſtinam ac- "
quirit viriditatem; extenditur ſeſeque "
dilatat, & ſi ſelectum probumque ſit, "
aquam

quam ſapore & odore jucundo, ſubviridique colore imbuit.

Diverſa Chinenſes ei impoſuere nomina, juxta varios in quibus germinat locos, ac quibus pollere poteſt qualitates; quumque id quod prope *Hei cheu* creſcit omnium ſit præſtantiſſimum, id quoque *Slungecha* nominarunt & aliquoties 150. francis libram divendunt. Semen ejus terræ injectum elapſis tribus annis jucundos producit frutices noſtrates Ribes roſaſve magnitudine æquantes. Altæ nimis grandiniſque rigores incremento ejus nullatenus officiunt, quod mihi perſuadet terram noſtram ei non adeo fore Novercam, ſi in loco aliquo umbroſo fertilique granum ejus ſeminaretur.

Reverendus Pater de Rhodes in itineribus ſuis typis datis hanc deſcriptionem inſtituit. Thé folium eſt magnitudinis folii arboris punicæ. In fruticibus provenit Bruſco ſimilibus. Duæ in China duntaxat provinciæ, ei natale ſolum miniſtrant prima eſt *Nanquin* ubi Thé naſcitur præſtantius, *Cha* dictum, altera verò *Chincheau*. Folii iſtius collectio non minori ac vindemiæ noſtræ curâ perficitur: in tanta ibi ſuccreſcit copia,

us ſuppeditetur cęteris Provinciis Chi- "
nę Japoniæ, Tunquino, Cochinchinæ "
regionibuſque aliis in quibus ita viget "
uſus Thé ut temperantiſſimi, ter ſaltem "
ſingulis diebus, imo plurimi decies aut "
duodecies vel ut verius dicam ſingulis "
horis id hauriant. Folium hoc collectum "
in fornace bene ſiccandum curant, va- "
ſiſque ſtanneis bene occluſis poſtea in- "
cludunt quoniam expoſitum aëri omnes "
veluti vinum, vires amittit, Batavi ne "
eam cùm illud in Gallia divendunt adhi-
beant curam, ignoro. "

Tulpius Medicus Amſtelodamenſis in obſervationibus ſuis Medicis libro quarto cap. *59.* de herba hæc fatur, nihil Indis eſt frequentius quam potus confectus "
decoctione plantæ Chinenſibus *Thé*, "
Japonenſibus vero *Tchia* dictę, cujus "
omnem quæ ab ipſis regionum illarum "
primoribus accepi notitiam poſteritati "
conſecrare non dubito. Huic igitur "
plantæ ſicut folia ſunt longiuſcula acu- "
leata & denticulata ita alibi quoque ra- "
dices habet fibroſas & in parvulas par- "
ticulas diſtinctas; neque in China tan- "
tùm & Japonia latè ſuccreſcit, ſed & in "
Chiam aut Siam: hæc interim interce- "
dit differentia quòd folia in China "

pro-

provenientia coloris ſint viridi-fuſci " ad nigrum accedentis; ea verò quæ in " Japonia, viriditate ſint magis pallida & " decolori ſaporeque jucundiore, quô fit " etiam ut Tchia Japonenſis pluris æſti- " metur quàm Thé Chinenſium, ita ut " ſæpenumero Tchia centum francis lio- " bram veneat.

Videntur Authores iſti differre aliquo modo opinionibus, ſiquidem Nieuhoftius in relatione legationis adChinam duas tantum regiones folii hujus feraces ait & in contrarium abit Pater de Rhodes, id in Japonia quoque creſcere aiens. Scribit verò Tulpius eo & Siam gaudere. Sed parùm hoc referret, modo cuinam plantæ ſpeciei Thé annumerandum conſtaret, quod ſcitu difficile eſt, quum non niſi folium ſiccum abſque ſemine, flore aut radice hucuſque allatum ſit. Nieuhoftius inter ſpecies Sumach collocare videtur, qui frutex in regionibus iſtis haud ignotus. Gaſparus Bauhinus in Pinace ſpeciebus fœniculi id annumerat. Bontius Thé parvam dicit herbulam cujus folia denticulata conſolidam minorem referunt. Simon Pauli in *tractatu de Tabaco & Thé*, poſtremũ iſtud non Chinæ tantum & Japoniæ deberi, ſed plantam

eſſe in univerſa Europâ cognitam contendit, eam nempe quæ Latinis *Chamæleagnus* aut *Myrtus Brabantica*, Germanis *Poſt*, Gallis *Piment Royal*, Danis *Pors* & Belgis *Gagel* dicitur. Quod ſuper hoc diſſerit prolixum nimis, quàm ut huic Tractatui inſeratur. Dico tantùm paucos admodum in ſententiam ejus iviſſe, quoniam ad plantam in certam ſpeciem redigendam, non ſufficit folia ejus exteriora conſideraſſe, ſed penitiùs ea tota perſcrutanda eſt. Doctoris hujus principio, & Sumacho & Betonicæ Thé annumerari quiret, cùm & ea referat. Indefinitum ergo manebit donec eam meliùs ſimus edocti. Inſuper Author proprio alibi ſe jugulat gladio, etenim ruſticos Belgas refert Chameleagnum Cerevifiæ ſuæ injicere fortiori reddendæ & ad inebriandum aptiori, quod Thé viribus planè contrarium eſt, cùm præcipue ejus facultas ſit, ebrietatem ſolvere.

Ab effectibus non petitur genus plantæ ſecundùm recentiores ac verè in botanicis peritos, ſed unicè à figura florum & ſeminum, additis etiam quandoque quibuſdam foliorum & radicum accidentibus. Si itaque tantùm probaret Simon Pauli in illis

illis convenire quod Thé dicitur cum plantis quas recenſet, non valeret noſtri Auctoris cenſura; ſed neque ſic ſe expediet vir Clariſſ. ſiquidem vera hujus plantæ deſcriptio apud D. Dale allata hæc eſt. Thé eſt planta foliis anguſtis, ſerratis floribus pentapetalis, majoribus, rotundis, fructu tetracocco, rugoſo, ex ſpadiceô fuſcô à reliquis differens. Non diſſimilia habet Rever. P. Le Comte in ſuis de China commentariis, ut nec R. P. Athan. Kirkerus in ſuâ Chinâ illuſtratâ. ex aliorum relatione fruticem hunc delineans.

Maginus in commentariis ſuis Geographicis refert Scytas Minores qui inconditis & parcis cibis veſcuntur, aquâ, lacte, potuque quodam ex milio, tum ſi detur copia vini Baccho indulgentes, ut præcaveant quæ ex alimentis & potu evenire poſſent incommoda variis uti plantis in Tanais ripis ſuccreſcentibus inter quas maximi habent eam quam vocant Baltracan, quæ ipſos enutrit robuſtoſque reddit. Vbi fructus ejus plantæ apparet, inutilibus ſuis campis relictis huic quærendæ unicè ſe dedunt, ut qua majori poſſunt quantitate domos ſuas repleant; tanti eam faciunt ut ſi omnibus

eduliis deſtituerentur, ſola ipſis ſufficeret. Simon Pauli Thé inter ipſos æque ac in China naſci autumans, credebat eos nauci illud facere, ſiquidem Maginus eos illo delectari non referat. At non in iſta Scythia quærendum eſt Thé. Scythia immenſo ſpatio extenditur, plurimaque diverſa continet climata, & qui Thé in ea germinare aſſerunt de Scythia Septentrionali Chinæ vicinâ intelligunt.

Dubitatur plurimis Authorum noſtratum, num frutex aut tantùm planta ſit Chinenſium Thé. Sunt qui exiſtimant herbam eſſe mediocrem, ſiquidem folia ejus tenuia & odorifera ſint, ſuaſque vires facillimè exuant & impertiant infuſioni; verùm iis ſtandum cenſeo qui inibi locorum egerunt, quique Thé fruticem eſſe aſſerunt & ita depingunt.

In China uſus ejus ita antiquus non videtur, ſiquidem in vetuſtis ipſorum libris caracteres qui nomen ejus exprimant nulli deprehenduntur, cùm tamen aliæ res omnes multis ab ævis ipſis cognitę, caracteribus ſuis inſigniantur. Simon Pauli ab eo tantùm tempore uſu inter ipſos invaluiſſe autumat quô Scythę rerum potiuntur, quod evenit anno 1644.

Id

Id tamen veriſimile parum eſt cum & ipſis Europæis jam ab hujus ſæculi initio innotuerit; ſupra citatus Bauhinus ejus mentionem facit in ſuo Pinace excusô anno 1623. Debetur negotiationibus Batavorum qui ex Japonia & China illud nobis attulerunt : & obſervatu digna eſt eorum in hoc negotio circa hanc herbam œconomia, nam nummis præſentibus vix emunt, ſed mercibus ex Europa deportatis commutant, verbi gratiâ ſalviâ quâ deſtituitur ſolum Chinenſe : Hinc ut multis morbis, quibus Chinenſes ſunt obnoxii, medendis aptiſſimam deprædicant & reapſe bene hinc ſe habent; cujus cùm ſint perſuaſi, tum ob elogia quibus eam cumulant Batavi, tum ob ejus utilitatem & vires experientiâ confirmatas, duas libras Thé pro ſalviæ unicâ libenter dant.

CAP. II.

De Thé eligendo; de Regionibus ubi in uſu non eſt; de modoque illud præparandi.

VT probo Thé gaudeamus, curandum ſuper omnia recentiſſimum eligere; recentiſſimum autem eſt quod

coloris eſt viridis obſcuri. Si omnium præſtantiſſimum nobis adportaretur, aquam cui infunditur colore ſubviridi imbueret, referente Domino Tavernier in ſua de Regione Tunquin relatione. At qualitatis hujuſce nullum nobis affertur, id enim quod habemus, infuſionem ſubflavam efficit. Amarum ſit oportet odoriſque dulcis & jucundi, odori violæ multùm accedentis. [*Hic odor per ſuperadjecta procul dubio inducitur; & ex hujus folii manipulatione plùs quàm manifeſtum eſt, ut plurimum radicis ireos odorem ipſi inſpergi; omneſque qui αὐτόπται fuere unanimiter aſſerunt odorem tantùm fæni recentis ipſum præbere.*]

In ejus quoque natalitiis regionibus, maxima eſt diverſitas unumque altero ſecundum diverſas qualitates carius eſt. Referunt Authores in Japonia Thé reperiri quod centum francis libram valeat. Ulterius procedit Dominus Tavernier & ex ore ipſius teneo, idem quoque ni fallor in ejus extat relationibus, dari Thé quod quingentis francis libram divendi viderit; non tamen de folio, ſed de flore ejus loquitur, Principibus in delicias aſſervato, unde Thé Imperiale à nonnullis dicitur. Hujus ge-

neris Thé nos in Europa latere opinor ſaltem privatos. Color viriditatis longè albicantioris eſt quàm commune: indubium quoque eſt efficacius eſſe, saporemque longè jucundiorem. Quibus Thé aſſervandi animus eſt, ne vappeſcat etiam atque etiam caveant: omnes enim ſuas ſicuti Café amitteret vires. Hinc vaſis ſtanneis optime obturatis includatur ne videlicet humiditate corrumpatur vel aëri exponatur.

" En modum Thé præparandi Chi-
" nenſibus uſitatum, referente Patre de
" Rhodes. Aquam in vaſe terſo & nitido
" coquunt, quæ dum ferveſcit, igne
" amovetur & juxta quantitatem aquæ
" folia injiciunt, dimidiam nempe drach-
" mam Thé pro ſingulis aquæ cyathis.
" Vas illud tegunt, folioque fundum pe-
" tente potant infuſionem; tunc enim
" vires ſuas in aqua depoſuit eamque co-
" lore ſubrubro tinxit. Calidè quantum
" poſſunt ſorbillant, refrigeratum nullius
" momenti eſſe dicentes. Quod in fun-
" do remanſit folium etiam ſecunda vice
" adhiberi non ineptum eſt. Sed tunc cum
" aqua coquatur neceſſe eſt.

" Japonenſibus, *pergit idem*, alius præ-

", parandi modus id enim redigunt in
" pulverem, poſteaque aquæ ferventi in-
„ jectum utrumque hauriunt. Num hic-
„ ce ſumẽdi modus priori præſtet, neſcio,
" ego quidem ſemper & quidem ſalubri-
" ter uſurpavi eô modô qui inter Chinen-
" ſes obtinet: utrique ad deliniendam ip-
" ſius acrimoniam, quam tamen non in-
" jucundam ſentio, Sacchari aliquantu-
" lum cum Thé permiſcent.

In Perſia aliquando in præparando paululum aniſi aut fœniculi aliquotve Caryophillos injici refert Olearius in ſuo itinere Perſico. Cæterùm juxta has obſervationes & quotidianam experientiam duobus crateribus conficiendis ſume ſextarium aquæ in Cucuma argentea, Cuprea ſtanno obductâ, aut terreâ vernice illitâ; aquæ ferventi drachma circiter foliorum injiciatur, eodemque tempore cucumam igne amovendo per quadrantem horæ coopertam ſine, donec folium fundum petierit & aqua colore debito imbuta videatur. Tunc in porcellanios aut Faventinos crateres ſenſim effundatur injecto ſaccharo communi aut cando ad magnitudinem Avellanæ, aut ſaccharum in ore teneatur ut Indi aſſolent, Calidiſſimum & repetitis

hau-

hauſtibus potetur ſive ſorbilletur.

Stomachô jejunô aut ſtatim à menſa & quandocunque placuerit juxta diverſum uniuſcujuſque ſcopum Thé ſumi poterit. Ad ſtomachi vapores retundendos, jejunô hauriatur, ſi ad corroborandum ſtomachum juvandamque digeſtionem ſtatim à menſa, vel quacunque horâ niſi fortè ſub noctem, ſi dormire quis cupiat.

Vaſa ſunt Chinenſibus ex certâ quâdam bolô rubrâ aut terrâ ſigillatâ confecta, in quibus infuſionem aptius perfici arbitrantur, quod num ità ſe habeat, neſcio, ſed eorum figura quæ hujus tractatus initio excuſa eſt, elegans eſt. Hoc vaſorum genus cum nobis deeſt, quæcunque vaſa adhiberi poſſunt modò ingratum odorem vel ſaporem infuſioni non impertiant & probè claudantur. Idem dictum ſit de vaſis porcellaniis licèt elegantiſſimis & continendis in ſe liquoribus ferventibus aptiſſimis, extremitates enim niſi proluantur minimè calefaciunt, quod ad parcendum labris, adurendis alioquin, commodum admodum eſt. At in eo totum reſidet quod ex eorum uſu haberi poteſt

commodum, non enim virtutem aliquam peculiarem habent quæ digeſtioni inſerviat. Thé nonniſi eô quô potandum tempore parandum eſt, infuſio enim ejus iteratò calefacta præcipuas vires deperdit. Memoriâ tenendum quod diximus eadem folia bis adhiberi poſſe, juxta modum Patri de Rhodes obſervatum. Sunt qui ipſiſſima adhuc folia pluribus diverſis vicibus adhiberi poſſe contendunt, modò reſiccentur; at certum eſt poſt ſemel iteratam infuſionem nequidquam prodeſſe. Si quis omnem utilitatem percipere voluerit, in modum acetarii ſuperſtes folium oleum & acetum adjiciens, ſicuti mos eſt Batavis inter Indos degentibus, comedet.

Quantum ad diverſum qui Chinenſes inter & Japonenſes, Thè præparandi modum, audiamus Tulpium Medicum Batavum in Medicis obſervationibus.

« Quoad modum Thè utendi, notandum eſt Chinenſes & Japonenſes « in re iſta valde differre, ſiquidem illi « in pulverem redigunt, illum ſuper petram ſerpentinam conterendo ac eum « aqua calida bene temperando: Hi « vero pulverem hunc in liquore aliquo « coquunt, adjectis ei aliquot aut ſalis

aut

"aut ſacchari granis, quam decoctio-
"nem dum adhuc calida eſt urbanè ad-
"modum ſuis convivis offerunt omni-
"buſque qui eos inviſunt. Id tanta di-
"ligentia & attentione peragunt, ut &
"primi ordinis homines ipſam hanc co-
"ctionem in amicorum ſuorum gratiam
"propriis præparare manibus aut ſaltem
"in eo præparando alios juvare non
"dedignentur: Cameras etiam in mediis
"ſuis palatiis datâ opera habentes, in
"quibus parvulæ ſunt fornaces ex lapi-
"dibus pretioſiſſimis lignoque exqui-
"ſitiſſimo conſtructæ, ibique loci ſolo
"uſui Thè deſtinatæ ſervantur Ollæ tri-
"podes, infundibula, calices, cochlearia
"aliaque id genus vaſa culinaria ad ar-
"tem hujuſmodi eleganter efficta, qui-
"bus millia aliquot impendere non cu-
"rant, quæ omnia pannis bombycinis
"nitide involuta tenent nec niſi familia-
"ribus oſtendunt, & quaſi inter nos
"gemmæ habentur.

Dominus Tencke Profeſſor Monſpe-
lienſis in Formulis ſuis Medicinalibus
alios quoſdam modos ſumendi Thé re-
fert non ita vulgatos. Variis inquit mo-
dis herba hæc adhibetur & aſſumitur.
Primo quidem in ſubſtantia quando ſic-

cera ad ſemidrachmam aut drachmam integram in Cyatho aquæ tepidæ aſſumitur. Secundo decoctum herbæ ad drachmam & ſemis adjecto ſaccharo ut ut jucundior ſit potio, & calida ſorbillatur. Tertiò diſtillata in Balneo Mariæ cum aquis appropriatis. Quartò infuſa ad unicam & ſemis in aqua quadam Cardiaca aut generoſo vino, cujus tria vel quatuor cochlearia ſorbeatur adjecto nonnihil ſacchari. Quintò ex ea exprimuntur ſucci quos in pilulas coaptant ad dozim granorum decem. Sextò denique ad inſtar Tabaci attrahitur fumus fiſtulis & ſiphunculis & eo modo capitis & pectoris morbis frigidis, nec non fluxionibus narium conducit.

Alii etiam conſervam ex ejus pulvere cum ſaccharô, additô Syr. betonica ac ejus aquâ conficiunt. Hollandi poſtquam infuſionem ex aquâ maximè ſaturatam habuere ac in proportione quamlibet adjungunt, admiſtôque præterea pauco croci flore, panis fruſtulum comedentes, ſubinde ſorbillant, ſic que in deliciis habent, ut apud plures vidi.

CAP. III.

De herba Thé viribus ad fugandum ſomnum.

SIcut in Arabica faba, ita etiam in herba Thé duę diverſæ obſervari poſſunt ſubſtantiæ à quibus omnes dependent effectus: volatilis una & ſpirituoſa odore ſuo ſuavi & jucundo, ſe præbens, aquæ cui infunditur minimô calore communicabili, altera verò fixa & terreſtris, quæ animadvertitur ſapore ſuô amarô aſpero & aſtringenti, nec tamen hic ulla torrefactio ad excitandos ſpiritus eoſque ſubſtantiæ terreſtri expediendos requiritur. Siquidem hanc minima torrefactio adureret; Sol enim parens ille plantarum in foliô iſthôc tenerô, quod in grano Café ignis vis, efficit. Sufficienter quippe ſpiritus ejus infuſione communicandos elevat, phlegmaque citra miniſterium ignis pro neceſſitate diſſipat ad amaritudinem procurandam parti terreſtri. Hinc inter utrumque mira convenientia interim ſententiam viri percelebris Domini de la Chambre ex ejus ſchedis hæc proferam.

" Quem-

“ Quemadmodum inquit in pharma-
“ cis omnibus binæ occurrunt qualitates
“ manifeſtæ nempe & occultæ, quæ
“ poſteriores experientia tantùm ſe ſe ex-
“ plicant, certi ſumus herbæ Thé quali-
“ tatem nullam noxiam inhærere, ſiqui-
“ dem uſus & experientia quæ inter O-
“ rientales quotidie obtinet potum non
“ tantùm effectis malignis carere ſed
“ & multos quibus obnoxii ſumus
“ morbos inde præcaveri teſtantur.

“ Quod ad qualitates attinet manife-
“ ſtas, ut opinor Thé calidum eſt in
“ primo gradu & ſiccum ferè in ſecun-
“ do; quum enim primas pharmaco-
“ rum qualitates guſtu tantùm dignoſ-
“ cere poſſimus, ſaporque amarus, ſal-
“ ſus & acer, calidis tribuantur, palam
“ eſt Thé quod amarum, etiam calidum
“ eſſe; at cùm omnis amaritudo à pri-
“ mo tantùm incluſive ad tertium uſque
“ gradum extendatur, ſi cicoracea ex-
“ cipias, neceſſe eſt herbam Thé quæ
“ exiguæ eſt amaritudinis minimum
“ quoque caloris gradum in ſe conti-
“ nere. Fortè quidem agitationem ſpi-
“ ritibus impertiendo magis calefacere
“ valet ob rationes mox allegandas, ve-

" rùm per ſe caloris gradum quem nota-
" vimus non excedit.
" Quod ad ſocietatem, licèt ſequa-
" tur gradus calidi in rebus amaris quæ
" ſubſtantiæ ſunt terreſtris & ſic Thé
" amarum ſit in primo gradu nihilomi-
" nus amaritudinem ad initium vel me-
" dium ſecundi extendi arbitror, quia
" aſtringens aliquantulum eſt, hæcque
" qualitas ſiccitatis additamentum in-
" dicet.
" Verum Thé non tam juxta quali-
" tates iſtas conſidero quàm quod valde
" ſpirituoſum eſt & cum ſpiritibus ali-
" quatenus conforme: hinc eſt quòd eô
" aſſumptô alacrior ſit animus omneſque
" partes ubi cuduntur ſpiritus ſint corro-
" batæ. In eô, ni fallor, eximiæ ejus
" vires ſitæ ſunt, omnibus enim corpo-
" ris functionibus ſpirituum miniſteriô
" peractis, fieri non poteſt quin accura-
" tiores fiant & perfectiores ubi ſpiritus
" ſunt potentiores.
" Calor & ſiccitas præterquam quòd
" qualitates ſint imbecilles ut loquitur
" Hippocrates in gradu ſunt adeò remiſ-
" ſô & temperatæ tanta aquæ quantitate
" ut nihil ab iis ſit metuendum, etſi Thé
" caloris aliquid agitatione ſpirituum
" cau-

" cauſatur, calor ille mitis erit, naturali
" haud difformis quique ut vinum va-
" pores non excitat. Hæc ille.

Cæterùm nihil æque herbam Thé commendavit, ac ejus facultas ſomnum pellendi vireſque longioribus vigiliis diſſipatas recolligendi. Hinc tantô ſtudiô à majoribus Miniſtris, Legatis aliiſque qui in negotiis ſomnô abſtinere perſæpe tenentur deſideratum fuit & inquiſitum. Hunc ejus effectum jam à peregrinatoribus toties deprædicatum experientiâ deprehenderunt; cum Thé recens & bene lectum aſſumitur.

" Audiendus hic imprimis ſupra lau-
" datus P. de Rhodes. Thé à cæna aſ-
" ſumptum ſomnum ordinariè arcet;
" quem tamen nonnullis procurat, quo-
" niam quum craſſiores tantùm vapores
" diſſipet, eos qui ſomnum cauſantur
" relinquit. Quod ad me attinet (*per-
" git idem ille*) ſæpiſſime ſum expertus,
" ubi Chriſtianorum noſtrorum confeſ-
" ſiones tota nocte audire mihi incum-
" bebat, obrepebatque ſomnus, Thé eô
" ipſô momentô hauſtum integra nocte
" ſomnum fugabat poſtridieque ac ſi
" more ſolitô dormiiſſem valebam. Se-
" mel id per hebdomadam ſine ullo in-
" com-

" commodo præſtare poteram. Volui "aliquando ſex noctibus continuis id " tentare, at nocte ſextâ viribus eram plane exhauſtus.

" Eodem modo aſſerit Tulpius hujus " herbæ potum inter alia vi ſomnum " avertendi pollere: Thé inquit, robur " corporibus conciliat, præſervat à do-" loribus calculi quibus in iis ubi germi-" nat locis neminem obnoxium eſſe aſ-" ſerunt. Capitis præterea doloribus " medetur catharro, oculorum & pe-" ctoris fluxionibus, aſthmati, ſtomachi " debilitati, alvi torminibus, laſſitudini " & ſomno quem ita evidenter reprimit " ut potu iſto utentes integras interdum " inſomnes tranſigant noctes: quia mo-" deratè calefacit & ſuperius ſtomachi " orificium conſtringens frænat & im-" pedit vapores ad ſomnum neceſſarios " cerebrum petere, ita ut qui noctes in-" ſomnes ſtudendo aut meditando inſu-" mere cupiunt, nihil inde patiantur in-" commodi.

Olearius, aliique multi peregrinatores idem unô affirmant ore, præcipuè quod facultatem ſomnum pellendi ſpectat. Ratio in promptu eſt. Oritur duabus præcipuè de cauſis ſomnus

ſpiri-

ſpirituum depauperatione, aut eorum quiete. Prima ſi adfuerit diſſipatis iis, muſculorum ceſſat motus. Hinc ſomnus poſt laborem & laſſitudinem. Si verò ſecunda ſpiritibus irretitis à vaporibus ex imo ventre ad cerebrum elevatis, ſicuti radii ſolares nubibus obnubilati, neceſſariò ſenſus exteriores in quibus non radiant ſpiritus, functiones ſuas obire non valentes, ſomno indulgent. Inde fit ut refrigeriô novi chyli ſanguinem ſubintrantis, ſomnus ultrò obrepat, præcipue ſi prior etiam adſit cauſa, ut accidit ſub finem diei poſt labores & cænam. Utrique cauſæ contrariatur herba Thé, ſpirituosâ volatili & odoriferâ parte ſpiritus diſſipatos reparat, amarâ & diureticâ alimentorum humiditatem ſomno neceſſariam abſorbet & per urinas pellit. Tum etiam fortè calor actualis quo potatur ſpiritus agitat ſicque vigiliam procurat. Etenim obſervavit quidam nobis familiaris Medicus, aliarum herbarum veluti ſalvię & pulmonariæ decoctum calidè Thé inſtar epotum, eundem quamvis minùs ſenſibiliter, producere effectum.

CAP. IV.

De virtute Thé ad Sanandos Capitis dolores.

CUM Thé vapores in cerebrum naturaliter aſcendentes retundendo ſomnum avertat facilè præſumi poteſt ad capitis quoque doloribus non parum inſervire, qui ut plurimùm à vaporibus tantum aut humoribus acribus originem trahunt, cerebri vaſa nimium dilatantibus, aut membranam ejus nimis pungentibus. Hic quoque præcipuus effectus à noſtris Autoribus ipſi tributus.

Præcipua herbæ Thé qualitas, ait *P.* ‘ *de Rhodes*, eſt quod capitis medeatur ‘ doloribus: me quod ſpectat, *pergit* ‘ *idem*, quotieſcunque hemicrania la‘borabam, mediante hoc potu mirificè ‘ſanabar, craſſiores enim vapores in ce‘rebrum elevatos certò & promptè re‘‘ pellit.

Idem ſentiunt Olearius & Tulpius: & ipſe Simon Pauli qui tamen Tractatum de abuſu Thé, in quo & ipſius uſum omnem ferè improbat, hanc virtutem ipſi haud denegat. Nec dubium eſt,

non

non ſolùm præſentem dolorem inde levari, ſed omnem quoque ejus recidivam impediri, ſiquidem levis hujuſce potus amarities ejuſque ſtypticitas fibras ſtomachi conſtringendo functionem ejus perficiunt prohibentque ne novæ generentur cruditates craſſorum horum & acrium vaporum cauſæ ac fomites. Hincque non inconſultò, tum immediatè poſt prandium, tum etiam jejunô ſtomachô diebus aliquot continuis ſumi poteſt; nec enim ſicuti de potu Café obſervatum, neceſſe videri ante ipſius hauſtum cibum aliquem ſumere.

Eadem ratione, iſthoc cum Café Thé habet commune quod ſolvat ebrietatem, corpuſque nimis Baccho peſſundatum integritati ſuæ reſtituat. De Duce Albano refertur quòd à menſa aquæ cyathum quam linguâ ſuâ *Caſtigador* dicebat haurire ſolitus fuerit quo vini fumos caſtigaret. At Epitheton hoc potiori jure Thé potui conveniret. Dom. de Bourges in Relatione Epiſcopi Berytenſis ad Cochinchinam narrat dum Siami agerent ſe poſt cibi aſſumptionem Thé adjungere aſſueviſſe quod pauculo cum ſaccharo calidiſſime bibendum præbent, indeque bene ſe habuerint etſi frequen-

tiſſimè

iſſimè piſces comederent. In regionibus illis ideò potant quia ſtomachus nimiô calore eſt exhauſtus, aut quia vires ejus nutrimenti qualitate debilitantur; tantopere nimirum folium iſtud diverſis proprietatibus pollet, inter quas præcipua etiam eſt ebrietatem ſolvere. In quo a liquoribus aliis quibus aſſueverunt homines longiſſimè differt, qui ſi nimiâ copiâ propinentur rationi quoquo modo officiunt, at è contra Thé eam ſtabiliat & vapores ipſi obvias excutiat.

Idem teſtatur laudatus Author legationis Chinenſis, convenit & Pater Martinius in Atlante ſuo Chinenſi: Antonius Muſa Imperatoris Auguſti Medicus proprietates quas The adſcribimus eaſdem Betonicæ quoque tribuebat, quam contendit quadraginta ſeptem morbos ſanare. Et revera conformitas ejus cum herba Thé notatu maximè digna eſt: ut forſan quæ cum multis periculis impenſiſque ſub cœlo peregrinò quærimus in ſolo noſtro reperire daretur, ſi ſatis curæ ad ea rimanda impenderemus.

Nunquam ſanè per experimenta ſæpius ſumpta eruere aliquid conceſſum, quo betonicam noſtram in virtutibus cum folio fruticis

ticis Thé convenire probaretur. Etenim quod in vaporibus cerebri quãdoque diſcutiendis per illam obtinuimus, non minùs à ſimplici calidâ peragebatur, quia ſc. facillimè erant diſſipabiles. At folium Thé in Cephalalgia etiam inveterata, Hemieraniiſque deſperatis ſæpius non parum proficuum, & quaſi ſpecificum adnotavimus.

Utique cerebri liberatio à vaporibus animo ac memoriæ firmandæ haud parùm conducit. Cerebrum nimis humidum inſtar eſt ceræ mollis ſigillum facile quidem admittentis at impreſſionem non diu retinentis. unde fit ut Phlegmatici & Infantes memoriæ ſint infidę. Mediocris requiritur ſiccitas in organis & humorum puritas ad retinendas ideas earumque vitandam confuſionem. Moderatè autem *Thé* ſiccat cerebrúmque purgat & proinde memoriam firmat mentemque purificat. Chinenſes rarò exſcreare & nares mungere, obſervantur, quod ſanè eos ſuperfluis humoribus cerebrum & mentis arcem obruentibus oſtendit liberos. Quibus ingenia erant acuta antiquis audiebant *homines emunctæ naris*, hoc eſt qui emungi non opus habent, & Chinenſes apud nos ingenioſi, ſubtiles & aſtuti creduntur.

Ars

Ars ſanè Medica perfectionem partim adepta eſt analogiſmi, hoc eſt concluſionum ope, quæ à morborum eorumque originis conformitate, ut & pharmaci unius cum altero convenientia deducuntur. Ita ſuppoſitis iis quæ de Chinenſium Thé protuli, concludo ſummæ utilitatis eſſe in pluribus capitis morbis, ſoporoſis affectibus, aliiſque à catharris, & vaporibus ortum ducentibus: ita conducet præveniendæ, imò & ſanandæ Apoplexiæ, Lethargiæ, Paralyſi, Vertigini & Epilepſiæ, quæ ſæpiſſime à nimia lymphę effuſione in cerebrum oriuntur, item oculorum morbis, aurium ſuſurris; idque genus invaletudinibus aliis: præſertim ſi peritus Artis ſuæ Medicus adhibeatur qui penetralia & morbi & remedij ſcrutetur. Quod ſi quis miretur tantos à levi infuſione hujus herbæ produci effectus, ſanarique morbos remediis cæteroquin efficaciſſimis vix curabiles, is duo conſideret velim: remedia nimirum uſualia ut ſunt Thé & Café, qualitates ſuas inſenſibiliùs & tutius imprimere cæteris remediis, julepo putà, Apozematis, & emulſionibus, quoniam longiori tempore adhibentur. Tum etiam quod abſque ullâ violentiâ operen-

tur, non debilitando ſtomachum, emeticorum inſtar & purgantium, non exhauriendo vires & ſpiritus, ut ſudorifica, & phlebotomia, nec faſtidium ægrotis pharmacorum ad inſtar ordinariorum procreando. Inſuper ſicuti morbi noſtri maximam partem variis in victu erroribus debent ortum, conſtat potum ita familiarem & naturæ ita convenientem ægrotum ſanaturum potiùs quàm ullum aliud præſidium cujus uſus non ita frequens, nec naturę ita amiçus. *a*

a *His omnibus addatur, quod folii Thé energia non ita ſit infirma, quin ſi paulo ſaturatior fuerit infuſio, ſc. vel per copioſiùs adhibitum illud vel per longiorem in aqua moram, liquor emeticus evadat; Unde ſatis patet illud particulis acrioribus præditum eſſe, ac proinde minus mirum ſit ſi etiam parciſſimè adhibitum, nervis ſtomachi vellicandis, perque eos toti nervoſo generi, ſpiritibuſque eorum genuinis hoſpitibus, excitandis; imò ſi tunicis viſceris conſtringendis & à mucoſitatibus extraneis liberandis, aptum ſtatuatur.*

CAP.

Cap. V.

De virtutibus Thé in morbis ſtomachi, in Podagra, Calculo, dolore colico, morbis lienis, Rheumatiſmis, morbiſque aliis, & de Thé cum lacte.

THé non capiti ſolum, inquit P. de Rhodes; ſed & ſtomacho digeſtionique juvandæ mirificè inſervit, ideò à prandio ordinariè aſſumitur: dormiturus eo à cœna non utatur. Cur ſtomachicum ſit facile intelligere eſt, cum omnia amara talia ſint maximè ſi ſimul ſint aſtringentia. Ejus ergo nimiam fermenti ſtomachi aciditatem amaritudo corrigit, ſtypticitas verò fibras à quarum relaxatione diverſa progignuntur mala conſtringit, Notandum quòd in hanc rem feliciùs operabitur, ſi non tantum infuſio paretur, ſed & ebullitio levis, quoniam amaritudinem & ſtypticitatem quæ terreſtri non ſpirituoſę parti inhærent hoc pacto facilius deponit. Eodemque in caſu etiam Japonenſium methodum in ſubſtantia hauriendi pręferendam cenſeo, Eximius D. Monin Medicus

Grationopolitanus ſuis ægrotis maſticandum & comedendum folium præſcribit, in ſtomachi acoribus ructibuſque acidis, eoque modo certiùs vim exerere quàm epotum teſtatur. Ejus loco ſtomachi roborandi cauſâ, utuntur Hiſpani ſucco *Cachou*, cujus etiam notitia in Galliam ab aliquot annis pervenit. Succus eſt aſper, amarus atque ſtypticus, allatus ajunt quidam, ex Japonis, ſed verius ex Indiis, Putant eſſe ſuccum expreſſum ex *Areca*, quæ eſt arbor illic notiſſima cujus folia maſticare ſolent. Ex eo morſelli ſive grana cum ſaccharo & pauco ambaro griſeo formantur, quos à paſtu maſticare ſolent. Nec malè Café & Thé potui ſociatur, cum ſtomachi coctionem pariter juvet.

Correctis digeſtionis primæ erroribus eliminantur affectus inde pendentes, ſtomachi dolor, colica paſſio à crudis humoribus aut flatibus incluſis, diarrhæaque ab indigeſtione & chyli corruptione. *Mandeleſo* in Itinerario ſuo ad Indos vim habere hanc herbã Thé ſtomachum & viſcera roborandi ſuâmet experientiâ confirmat, narrans ſe importunâ diuturnaque diarthœâ illius potu ſanatũ fuiſſe, *Olearius*, *Guillielmus Leyl* Danus, à Simone

none Paulus titus, aliique plures ſcriptores de hiſce conveniunt. Aſt ejus alia nõ contẽnenda ab iis celebraturproprietas, à nephritide ſcilicet, calculo & arthritide preſervandi. Idque eò magis preſumitur quòd Chinenſes Thé potu indulgentes, hiſce affectibus non ſunt obnoxii

Thé, inquit P. de Rhodes, renes ex-" purgat, & corpus ab arthritide & cal- " culo præſervat, & hęc eſt, ni fallor ra- " tio, quare in illis regionibus ignoti ſint" hi morbi. " "

In hanc rem Martinus Martinius in " Atlante Chinenſi hæc fatur. Calidum " ſemper, inquit, potant Chinenſes, ſive " aquam, ſive vinum, ſive oryzæ deco- " ctum. In his liquoribus calidis cele- " brem ſuam *Cha* infundunt, calideque " bibunt. Ubi huic calido potui fui aſ- " ſuetus, Europæos vituperavi qui frigido " ita delectantur. Chinenſes enim calido " potu non ſolum ſitim extinguunt, ſed " & humiditates ſuperfluas exſiccant. " Inde fit ut ferè nunquam ſpuant, nec " doloribus nephriticis, aut ſtomachi " cruditatibus, ſicut Europæi, tententur, " tot tantoſque morbos qui apud nos " graſſantur, calculoſam renum arenam, " podagram, chiragram, ſimileſque affe- " ctus neſciant. "

Aſſerit etiam Tulpius vulgarem inter Chinenſés opinionem eſſe, hanc plantam ſibi à Diis donatam vitæ prorogandæ ad extremum ſenium & malorum avertendorum cauſâ ſanitati inſidiantium; eamq; nō ſolùm corpora vegeta reddere, à calculi doloribus præſervare, quibus ajunt neminem illic tentari, ſed etiam capitis dolores, rheumata, ophtalmias, catharros in pectus ruentes, aſthma, dyſpepſiam, tormina & laſſitudinem curare.

Hos effectus non mirabitur, quiſquis obſervaverit ea omnia quæ renes expurgant & ſerum minuunt, modò calorem aut debilitatem in viſceribus non relinquant, præſtantiſſima eſſe ne arena, phlegmavè calculi parentes generentur, neve arthritis aut rheumatiſmus prehendant. Hinc commendantur omnia diuretica in hiſce affectibus. At inter diuretica non minimum obtinet locum herba Thé, cujus nimium uſum, obſervârunt quidam, urinæ copioſum fluxum, & vulgò dictum Diabetem aliquando excitaſſe. Medicum nimis agerem, ſi rationes afferre ſtuderem quare ſit diuretica. Unum duntaxat addam, quod Sponius noſter obſervat ex Hippocratis Aphoriſmô nonô, ſectionis iv. *res odoratas eſſe diureti-*

diureticas, quia conſtant partibus penetrantibus & volatilibus, quæ viſcoſos humores in ſerum liquant, aptioreſque reddunt ut urinas exturbentur. Sicuti autem obſervatum eſt diuretica veluti cappares, ciceres, tamariſcus & vinum album, ſplenica eſſe, unde ea commendat Hippocrates; ita Chinenſium Thé horum viribus donatum, & amaritie ſua lienis acidum fermentum mitigare potens, in lienis morbis non exiguæ futurum eſt utilitatis.

Subjungere poſſem complures morbos quibus Thé non ſecus ac Café potus conveniens eſt, veluti lumbricos, vapores hypochondriacos & hyſtericos, palpitationes, alioſque; ſed repetenda forent permulta quæ in priori Tractatu jam dixi. Sufficiat notare à recentiori Autore inter Febrifuga fuiſſe collocatum, ut pote ſaltem febricitantibus non inutile. Eaſdem etiam conjecturas de lacte herba Thé impprægnato, ac de lacte caféato, repetere poſſem: nec enim pectoris morbis minùs convenire videtur. Hanc mixtionem Chinenſibus debemus, qui hoc modo præparatum advenis aliquando propinant. Tartari & Chinenſes nobiles, inquit Autor legationis Belgi- "

cæ, foliorum Thé pugillum aquæ ferventi injiciunt, deinde iſti aquæ quartam lactis partem cum pauco ſale ad- "
miſcent, ſicque palato ſuo admodum "
gratam propinant. At ſi ſalis loco ſaccharum addas, potum non ſolùm utilem, ſed, & gratiſſimum efficies, ſicque ſi cui ægro conveniat, delicato ac pergrato remedio curabitur, quod in Medicina, pace Medicorum & Pharmacopæorum dixerim, perrarum eſt. Imò ſunt quidam pectoris affectus, in quibus Thé lacti admixtum cafetato lacti præferendum, præcipuè ſanguinis ſputo & tuſſi ex qualibet ferè cauſa pendentibus. Illud enim adſtrictione ſua vaſorum extrema anaſtomoſi aut diabroſi adaperta obturare valet, cùmque partibus igneis torrefactione ſicuti Café non imprægnetur, ſanguinem æquè volatiliſare nequit, nec ita aptum reddere qui ex arteriis aut venis in pulmones effundatur.

Eadem ratione dyſenteriæ & diuturnæ diarrhœæ non minùs convenit, ubi opus eſt humores cicurare, nutritioni deſtinatas partes roborare, ſerumque acre abſorbere, morborum iſtorum parentes comiteſque. Hæc ſanitati commoda methodus videtur. Poſt purgationem, ſi neceſſaria

ceſſaria videatur, ſane lactis vaccini calicem, quam leviter ebullire ſine, ut partes butyroſas pulmonum bronchia infarcire aptas eximere queas: huic aquæ cyathos duos in quibus drachma Thé fuerit infuſa admiſce cum ſacchari ſemuncia, & calidè propina, continuando per menſem unum aut alterum, ſi inde bene ſe habeat æger, iterandoque ſingulis quindecim diebus leves & gratas purgationes ex unciis duabus caſſiæ conditæ, vel drachmis ſex ſalis Polychreſti Rupellenſis D. Saignette. a

a *Non videmus quid virium poſſideat ſal illud D. Saignette quod in noſtro ſale polycreſtô, vulgari modô præparatô, non reperiatur: imo minùs multò purgans eſt, ut millies experti ſumus. Dicunt colicos dolores non ita facilè procreare, ſed ego vidi quandoque inde atrociores munatos nulla etiam ſubſequuta dejectione. Eaque propter noſtrum probè confectum ſemper ego præferam; alium tamen non ſic improbans, quin potiùs delicatioribus quibuſdam propter ſaporem minùs paulò amarum ac acrem ſi modò iis ad debiliora medicamenta ſolvatur alvus, conducibilius forſan credam.*

* *De foliorum Thé effectibus hæc rurſus Corollarii locô ex Clariſſimô Raio adducemus.*

Tincturam è foliis Thee mediante aquâ calidâ, extrahi vulgo notum eſt. Ejus potum aliquando quibuſdam conducere negare nolo; tamen ut eum omnibus utilem adduci nequeo: quippe veriſimile videtur emolumenta quædam Thee adſcripta ab aquâ calidâ potiùs eſſe deducenda. Hunc potum quibuſdam nocuiſſe videtur experimentô ſæpiùs probatum: inter alia hoc patet ſequenti hiſtoriâ. Mulier vegeta & ſana, potui Thee addicta, conqueritur de frigore acri interiora concutiente, præſertim noctu, quod à Thee potu derivandum putat hanc ob cauſam, quia eô potiſſimum corripitur ubi huic potui indulſit. Memini ante aliquot annos virum robuſtum conqueſtum eſſe de frigore acri in abdomine, quod etiam potui Thee, quem quotidie ſumebat imputat. Hæc prædictus Auctor ex communicatione De Hulſe *affert.*

Experientiam quam de ſe ipſô adducit Clar. Ioh. Muys in Podaliriô ſuo redivivô, qui ſcilicet ex potu Thee, & præcipuè Café. à Cephalæa liberatus ſit, imô ab omni aliô incommodô, ſibi antea familiari, immunis poſtea vixerit, iam vidimus ubi de

Café.

Café. Nos quod attinet non ſemel perſentiimus quòd hauſtû unô aut alterô infuſionis Thee, etiam melioris notæ, cyathô tota die ſubſequenti & tremuli & nauſeabundi eſſemus, unde ab illo quaſi conſtitutioni noſtræ minus apto, inpoſterum abſtinuimus.

In aquæ cyathis quatuor diſſolutis, & intra ſemihoræ ſpatium hauriendis.

Hæc de Chinenſium Thé habebam dicenda, cujus quidem non minùs ac Doctor Simon Pauli, abuſum improbo: frequentiorem nempe ejus compotationem. Calor enim nativus inſtar flammæ lampadis oleo conſumpto extinguitur: faterique neceſſe eſt immoderatum Thé ſicuti vini, potum, humidum nativum citò nimis abſumere poſſe, caloremque ac vitam extinguere. Vitioſa non ſolùm extrema ſunt in Morali Philoſophia, ſed & in Medicina. Virtus medium tenet, felixque ſanè qui documentum hocce mordicus retinet.

Finis Tractatus de Chinenſium Thé.

TRACTATUS DE CHOCOLATA.


Cap. I.

Quid ſit Chocolata: & examen ejus ingredientium.

ITa invaluit in Europa Chocolatæ potus, ut non amplius quaſi Americæ familiaris ſit cenſendus, etſi ejus illic natalia celebrentur. Non abs re igitur, ſicuti Café & herbæ Thé, hujus compoſitionem & vires in examen revocabimus, utrumvè omnia quibus extollitur elogia mereatur, & quibuſnam conveniat. Id jam eruditorum quorundam Medicorum ſtylum exercuit: *Bartholomæi* nempe *Marradon* Hiſpani, & *Antonii*


Americanus instructus
suo vere
Chocola-
terio &
Scypho
pag 132
Ramus arboris
Cacao
Siliqua fructus Cacao
Fructus Ca





Antonii Colmenero Andaluſij, nec non *Renati Moreau* Pariſienſis Regij Profeſſoris, qui prædictorum Tractatus in Gallicum vertit, & notis illuſtravit. Ab eo tempore curioſus Peregrinator *Thomas Gage* Anglus diu in America commoratus, diſſertationem de Chocolata ſuis inſeruit relationibus. Iis aliquid ſuperaddere vix cogito, cùm non exiguam ejus notitiam habuiſſe videantur. Fungor ferè interpretis officio, ex iis quod optimum videbitur ſeligendo, at nec ſcrupuloſè nimis eorum verbis affixus, nec opinionis eorum ſervus eſſe cupiens.

Vox *Chocollati* aut uti nos pronunciamus *Chocolate*, purè eſt Americana. Oriúrque ut nonnulli cenſent, ex ſono *Choco, Choco*, quem edere videtur in coctionis præparatione, & voce *Atte* ſive *Atle*, quæ Mexicanis eſt *aqua*. Sic rudes iſti populi res nominare ſolent vocibus quibuſdam ſenſibiles ideas exprimentibus: ita initio Europæos *Tonitrui filios* vocabant, ob ſclopeta noſtra: Epiſtolam, *album* quid *Ingenio praditum*, ob ea quæ legentes edocet. Fortè etiam & veriſimilius quia *Cacao* baſis eſt Chocolatæ ex hac voce cum *Atle* facta eſt *Chocolatle* quaſi *Cacaoatle*, aqua Chocolatæ.

Hæc

Hæc minoris ſunt momenti quàm diſquiſitio de ipſamet Chocolata. Sciendum ergo ſpeciem eſſe ſolidæ paſtæ ex variis ingredientibus cujus præcipuum eſt *Cacao*, ex qua paſta liquore aliquo dilutâ potus paratur palato gratus, ac ſanitati perutilis. Ecce numerum & doſim ingredientium juxta *Marradonem*.

℞. Fructus *Cacaos*, num. 700. "
Sacchari ℔iß. "
Cinnamomi ℥ij. "
Piperis Mexicani, *Chilles* ſeu *Pimiento* dicti, grana xiv. *cariophyllorum* ℥ß. "
Vanillæ tres ſiliquas, vel ejus loco ſem. *aniſi*. ℥ij. "
Achiotæ, avellanæ magnitudinem. "

Quidam, inquit, addunt parùm aquæ " Naphæ, moſchi vel ambari griſei gra- " num unum, vel ſcolopendrii pulverem. " Ex hiſce ingredientibus *Colmenero* exulare vult cariophyllos, moſchum, ambarum & aquas odoriferas, & è contrà iis ſuperaddit *Amygdalanas*, *Avellanas*, *Roſarumque Alexandrinarum pulverem*. His quoque in America addi teſtatur *de Laët arboris* cujuſdam *reſini feræ florem* odoratum inſtar arantiorum, & ſiliquam *Tlixochitla* vocatam: imò & Turcicum frumentum

mentum *Mays* dictum, *Milium Indicum*, & *Ortjevala*. Eſt ergo inter Autores aliqua diſcrepantia in Chocolatæ compoſitione, quæ pro locorum uſu aut pro cujuſque ſapore diverſimodè paratur. Jam hæc ingredientia ſigillatim examinemus, antequam præparationem & mixtionem deſcribamus.

CACAO.

Arbor quæ hanc nucem fert ab Americanis vocatur *Cucabuaquahuitl*, ut ait *du Laët* Hiſt. Occident. lib. 7. c. 2. & *Ximenes* in plantarum & animalium Americæ deſcriptione: ſive *Cacaotal*, ut obſervat *Thomas Gage* Anglus. Altitudinis & magnitudinis eſt Arantiorum arboris, foliáq; non diſſimilia, ſed paulò majora habet. *Herrera* Caſtaneæ foliis ea comparat. Figuram conſule initio exhibitam, quam ex Muſæo Vormiano excerptam ſculpi curavimus. Hæc arbor ita delicata eſt, ſolumque in quo naſcitur ita calidum, ut Americani, ne radiis ſolaribus aduratur, primô arborem quandam *Atlinam* dictam, plantare ſoleãt: dein ubi in ſufficientem altitudinem crevit quâ ſatis umbræ emittere poſſit, ſub ejus ramis *Cacao* plantant, ut ſcilicet obumbretur & a radiis ſolaribus defendatur, quam Atlinam ideo *Cacao matrem* vocant, nulli quippe alii uſui deſtinatam.

Fructus *Cacaotal* nudus non ſucreſcit, ſed ſiliquâ cannulatâ tectus & circumveſtitus, non ſecus ac noſtri melopepones. Hos fructus *Cacahuacintli* nominant. Continent autem copiam non exiguam nucũ *Cacao*, quę ſunt amygdalarum majorum mole, ſed cõpactiores & palato gratiores. Viginti aut triginta, imò & quadraginta, ſingulis ſiliquis continentur. Unaquæque nux in duas dividitur partes ſimul apprime junctas, quas tegit alba quædam pellicula, ſucco quodam refrigerante & humectante prægnans, qui ab Americanis mulierib. in delicias ſugitur.

Colmenero & Thomas Gage duas *Cacao* ſpecies numerant, Duæ ſunt, inquit ultimus hic Autor, *Cacao* ſpecies: " vulgare unum coloris obſcuri ſubrubri, " rotundum & in extremitate punctatum. " Alterum *Patlaxe* dictum priori latius, " craſſius & deſiccans magis, pretióque " minori. Somnum potentiùs arcet, & " ideo parùm in uſu, niſi inter plebeios. "

Dominus Moreau quatuor ſpecies eſſe ait. Prima, inquit, vocata *Cacahuaquahuitl* omnium maxima & fructuum " feraciſſima. Secunda ejuſdem nominis, " mediocris magnitudinis, fructus habens minores. Tertia adhuc minor "

Xuchi-

Xuchicacahuaquahuitl, cujus fructus " extrà rubri, intus aliis ſimilia. Quarta " *Tlalcacahuaquahuitl* omnium minima, " fructúmque minimum ferens, colores " quanquam ab aliis non diverſum. Om " nes autem iſti fructus iiſdem pollent " viribus, eidémque uſui inſerviunt, " quanquam ultimus potui, cæteri com- " mercio ſint aptiores. "

Hæ *Cacao* nuces ſaporis ſunt medii inter dulcem & amarum, ad aſperum & aſtringens accedentis. De earum qualitatibus hæc Colmenero & Thomas Gage referunt. Quamvis *Cacao* ut alia mixta " de quatuor elementorum qualitatibus " particeps ſit, vulgatiſſima tamen inter " Medicos opinio eſt frigidum & ſiccum " eſſe, ſicuti Terræ elementum, & per " conſequens qualitatis aſtringentis. Ve- " rum quia de aliis elementis, & præci- " pue aëris calidi & humidi etiam eſt par- " ticeps, inde fit ut partes unctuoſas ha- " beat, ex quibus butyri quædam ſpecies " elicitur, quâ Americanæ fœminæ fuci " inſtar faciem ſibi perungunt. "

At, inquies, quo pacto *Cacao* frigidum & ſiccum ſtatuitur, dein calidum etiam & humidum? Reſponſum non eſt difficile.

Mixta

Mixta variis conſtant partib. veluti rhabarbarum partes habet calidas & purgantes, alias ſiccas & ſtypticas, ideóque frigidas ac terreſtres: ita & chalybs naturâ ſiccus, frigidus, & aſtringens, habet tamen partes aperitivas, ſubtileſque. Sic Galenus libro iij. de ſimplicium medicamentorum qualitatibus, in plurimis agnoſcit varias & oppoſitas ſimul facultates in uno & eodem ſubjecto, & cap. xv. ejuſdem libri, exemplum affert juſculi Galli veteris quod alvum laxat, cùm ejus caro conſtipandi vim habeat. Et capite xvij. lib. j. de ſimpl. Medicam. aliud exemplum profert lactis nempe in quo tres partes naturâ diversâ ſeparabiléſque reperiuntur: caſeoſa quæ alvum conſtipat, ſeroſa quæ purgat, & butyroſa quę anodyna eſt. Pariter in muſto tres reperiuntur diverſę, fæces craſſiores & terreſtres, altera levior ſpumoſa, tertia purior quæ proprię vinum eſt, colore, aliiſque accidentibus diſtinctę. Inde fit ut alimenta etſi ſimplicia quatuor humores in corpore generent temperie, ſubſtantiáque diverſos, plúſque aut minùs bilis, verbi gratiâ, aut pituitę, prout illud alimentum, plùs aut minùs tali humori conforme erit. Inde concludere poſſumus, ubi teritur & agitatur Cacao,

varias

varias partes quibus à natura donatur, hac arte intimè uniri, ita ut unctuoſæ, calidæque ac humidæ terreſtribus commixtæ eas temperent & corrigant, minúſque aſtringentes reddant, calidioréſque; quod patet ex Chocolatæ præparatione, dum igni admovetur & ligno denticulato probè agitatur: tunc enim animadvertas pinguem ſpumam elevari, quæ partem illam aëream, butyrosámque teſtatur, priùs in Cacao nucibus ſepultam, coctione verò & motu elevatam.

Inde eorum error arguendus, aſſe- “
runt Chocolatam obſtructiones parere, “
quia Cacao aſtringens eſt: quaſi vero “
hæc ſtypticitas intimâ mixtione dum “
teritur non corrigatur ac temperetur. “
Adde quod alia tot recipiat ingredien- “
tia calida, ut potius aperiat & attenuet, “
quàm obſtruat. Hæc ulteriùs veritas pa- “
tet, ex ipſomet *Cacao*: Si enim quis co- “
medat, ut ſolent Americanæ mulieres, “
abſque tritu & compoſitione, qualem “
in Chocolata habemus, tum ſane ma- “
gnas parit obſtructiones, pallidúmque “
& lividum faciei colorem, non ſecus ac “
in virginibus Chloroſi & picâ labo- “
rantibus, quo quidem vultûs colore “
gaudent Hiſpanæ, etſi ab iſtis rebus “
oppi-

oppilantibus oriatur, ſanitatémque de- "
ſtruentibus. "

Unô verbô, ex ſupradictis fatendum nucis *Cacao* partem frigidam ac terreſtrem, ab oleoſa calidáque temperari, Oleum enim & quidquid oleoſum eſt; ſulphureum & inflammabile eſt, ideoque calidum, tum etiam adjectis aliis Chocolatæ ingredientibus, eandem partem ſtypticam & terreſtrem non mediocriter corrigi; ſed hæc fuſius in capite iij.

SACCHARUM.

SAccharum Chocolatam ſubingreditur, non ſolum ad ſaporem acerbum Cacao & aliorum ſimplicium hujuſce compoſitionis temperandum, ſed etiam ad ipſius conſervationem, ut in vulgaribus conditis. Id tamen non obſtat quominus ſi vetuſtior ſit compoſitio tandem vermiculos contrahat, qui non ſecus ac vetuſtum caſeum illam utrobique perforant, præcipue ſi in loco humido detenta fuerit, aut nimia ſacchari quantitas ſit addita.

CIN-

CINNAMOMUM.

CInnamomum quo in Chocolatæ confectione utebantur in America ante Hiſpanorum adventum, non erat cinnamomum orientale in illis regionibus adhuc incognitum. Illud proculdubio uſurpabant quod apud Monardem lib. de plant. cap. 25. deſcribitur, quódque arbor eſt mediocris magnitudinis folia lauro ſimilia habens, fructum inſtar pileoli violacei ferens. Hic fructus ſaporem & odorem orientalis Cinnamomi refert, inſipidô & inodorô cortice. Utuntur in ferculis pulveratô. Stomachum roborat, flatus diſſipat, pravum oris odorem corrigit, cor reficit, & colicam ſedat. Ita non inconſultô Chocolatæ admiſcetur, ut pote qui attenuare & ſubtiliſare terreſtres Cacao partes & ejus ſtomachicam vim augere potens eſt. In ejus locum verum Cinnamomum Ceylonicum, qualitatibus iiſdem pollens ſubſtitui poteſt: ſed in eo caſu doſis minuenda, quia cùm ſit Americano validius, unciæ duæ in præſcripto requiſitæ, nimium eſſent.

CHILLES ſive PIPER MEXICANUM.

CHilles ſive Chilli duo ſunt genera, Orientale quod eſt Zingiber,& Occidentale aliàs Piper Mexicanum ſeu de *Tabaſco* dictum quia in illa novæ Hiſpaniæ provincia copiosè creſcit. Hujus quatuor ſpecies recenſet *Columero*. Prima eſt *Chilcotes*, ſecunda *Chiltepin* cujus grana exigua ſunt,at ſicuti primæ ſpeciei acria & linguam fortiter pungentia. Tertia *Tonachiles* mediocriter calida & amara,quę non ſecùs ac alij fructus cum pane manducari poteſt,& in ſolis pullulat Mexicanis paludibus. Quarta *Chilpathlaga* latitunis majoris,ſed minoris acrimoniæ quàm duarum priorum ſpecierum : tertiâ verò ſpecie ſapore acutior. Et hæc in Chocolatæ compoſitionem aſſumuntur.

Multò plures ſpecies numerat Euſebius *Nierembergius* cap.80. lib. xv. Hiſt. Naturalis : *Du Laet* in ult. cap. lib. v. ait hunc fructum ex arbore domeſtica *Xocoxochitl* procreari,cujus folia odorata,flores rubri ſicuti balauſtia,ejuſdem ac flores arantiorum odoris , pergrati & dulces, fructus rotundi & racematim ex arbore pen-

pendentes, primò virides, mox rufi, tandem nigri, guſtû acres, ſuaveolentes, calidique & ſicci in tertio gradu, ita ut Piperi ritè ſubſtitui poſſint.

Multi tamen ex hac compoſitione Piper eximunt, quia nimis calidum & acre: proptereàque Medici vix Piper rotundum niſi integrum ægris ſuis præſcribunt, hoc enim modo ſtomachum calefacit, & roborat, nec tamen viſcera in quę non permeat, excalefacere valet, cùm è contra pulveratum calorem ac ſitim intolerabilem pariat. Revera enim plurimi Chocolata utentes, poſtquam obſervârunt ſe ab ejus uſu excalefieri, ſibíque in facie puſtulas & jonthos excitari, meritò ab ea Piper cui hunc effectum tribuebant, exulare juſſerunt.

CARIOPHYLLI.

NOn pauci etiam in hac compoſitione abhorrent à Cariophyllis, forte quia alvum conſtipant, quanquam aliàs ſint ſtomachici, & aliis optimis qualitatibus donati, quibus ut pote notiſſimis non inſiſto.

VANIL-

VANILLA.

VAnilla, quam alij Mecuſuchil vocant eſt ſiliqua odore ſuavi, guſtúque acri ſtomachum & cor roborat, glutinoſos humores incidit & attenuat, potentérque venenis reſiſtit. Cum Tabaco mixta ejus ingratum fumi odorem corrigit. Fusè deſcribitur apud *Euſebium Nierembergium*, & *de Laët* lib. 5. cap. 4.

ACHIOTA.

SUccus eſt inſpiſſatus ex fructifera arbore *Achiotl*, aliis *Changuarica* aut *Pamaqua* dicta. Eam ſic deſcribit *Ximenes* referente de Laët l. 5. c. 3. & Nieremberg. l. 15. c. 48. Arbor eſt perſimilis ma- " gnitudine, trunco & formâ Arantio- " rum arbori folia colore & acerbitate " ulmi folia referunt; cortex, truncus ac " rami rufi ſunt ad viride accedentes; flo- " res in quinque folia diſtincti ſtellifor- " mes coloris albi purpurei; fructus pri- " mo caſtaneæ cortici ſimiles, formâ & " magnitudine parvæ amygdalæ viridis, " quadrangulares tamen & qui maturi " ſponte aperiuntur, granáque inſtar "

uva-

uvarum ſed rotundiora continent. Americani magno hanc arborem pretio habent, juxtaque ſuas ædes plantant. Toto anno virideſcit, & vere fructum emittit, quo tempore cæditur arbor. Ex ligno, ſicut ex ſilice, ignis elicitur; cortex eſt aptiſſimus funibus parandis, qui cannabinis fortiores ſunt. Ex ſemine tinctura conficitur rubro ſaturata, quâ Pictores utuntur. Uſum quoque habet illa in Medicina, quia frigidæ qualitatis eſt pota cum aliqua ejuſdem facultatis aqua aut exteriùs applicita, febris temperat ardorem, dyſenteriamque ſiſtit. Tandem omnibus potionibus refrigerantibus, & ideo Chocolatæ utiliter admiſcetur ſaporis & coloris gratiâ.

Achiota, inquit *Thomas Gage*, in cujuſdam arboris rotundis ſiliquis ſuccreſcit, quæ granis rubris refertæ ſunt, ex quibus paratur Achiota, quàm primò in maſſam redigunt, mox exſiccatam in globulos, placentuláſve efformant quas in foro venum exponunt. *Achiota*, paulò ſuprà ait, qualitatis eſt penetrantis & attenuantis, ut ex Americanorum

" Medicorum praxi patet, qui expe-
" rientiâ edocti, illam quotidie ad in-
" cidendos & attenuandos craſſos vi-
" cidóſque humores aſthmatis & dy-
" ſuriæ parentes præſcribunt, in om-
" nibuſque pectoris aut viſcerum alio-
" rum infarctibus, ac ſimilibus mor-
" bis utiliter uſurpant.

AMYGDALÆ.

EXiſtimat *Colmenero* non malè aliis Ghocolatæ ingredientibus adjungi amygdalas, ſed Americanas intelligit ab Acoſta ita deſcriptas hiſt.
" nat. l.4. c.29. Eſt alia, inquit, Cocos
" ſpecies, quæ intra nucleum maxi-
" mam copiam habet fructuum quo-
" rundam inſtar amygdalarum, & non
" ſecus ac grana pomi granati diſpoſi-
" torum: Quæ amygdalæ Caſtilienſi-
" bus triplò majores ſunt, ſapore non
" admodum diverſo quanquam acer-
" biore, humidæ pariter & oleagino-
" ſæ. Cibus non ingratus eſt, locoque
" Amygdalarum in America utuntur
" ad maſſapanes aliáſque cupedias
" conficiendas. Vide ſi velis, plura quæ de his diſſerit, parvæ ad rem noſtram utili-

utilitatis. Convenire autem videntur meliùs ac Indicum frumentum, miliumve, quæ nimis flatuoſa ſunt, cùm hæ moderatè calidæ, ſuccique ſint delicati, ſiccæ præſertim. Virides enim & recentiores hinc repudiandæ.

AVELLANÆ.

AMericanas avellanas ita deſcribit Acoſta, lib. de aromat. cap. 18. Avellana, inquit, arbor eſt maxima, " recta, rotunda, tenuis & fungoſa. Fo- " lia longiora & altiora palmâ Cocci- " ferâ habet, ex Arboris ſummitate " enaſcentia, inter quæ virgulæ flo- " ribus albis ferè inodoris onuſtæ pul " lulant, ex quibus fructus *Areca* naſ- " citur, nucum magnitudine, exigui " ovi gallinacei formâ, quem viridem " aliquando cum *Bethel* foliis maſti- " cant, aut ad ſolem ſiccatum cibis ad- " miſcent, potionibuſque adſtringen- " tibus.

Haſce avellanas eligit Medicus Ledeſmenſis, qui de Chocolata ſcripſit. Ab amygdalarum qualitatibus non recedunt, ſed magis ſiccæ & bilioſæ ſunt. Igni leviter torrefactæ ſtoma-

chicæ ſunt, & vapores in cerebrum aſcendentes reprimunt. Itaque flatibus, & fumis ex hypochondriis ſurſum elatis rationiſque ſedem impetentibus apprimè conveniunt.

MAYS, Sive FRUMENTUM INDICUM, & MILIUM.

" MAys & Milium in Chocolatæ
" confectione malè, inquit *Col-*
" *menero*, à quibuſdam aſſumitur, u-
" trumque enim flatuoſum & melan-
" cholicum, idque videntur dunta-
" xat avaritiæ cauſa præſtare, eo quòd
" minimi ſint pretii. D. *Moreau* hujus
" commentator aſſerit Americano-
" rum *Mays* nihil aliud eſſe quàm fru-
" mentum Indicum in Gallia ſatis no-
" tum, & à *Ximene* ita deſcriptum.
" *Mays* differentia à ſpicarum colore
" ſumitur, quas vulgus *Mazorcas* vo-
" cat. Aliæ enim albæ, aliæ rubræ,
" aliæ ferè nigræ, purpureæ, cæruleæ
" & coloris variegati: quod de exte-
" riori cortice intelligendum, alba
" enim farina eſt. Inter autem fru-
" menta omnia temperatum eſt ac
" polytrophum. Propterea qui craſ-
" ſum

ſum & viſcoſum alimentum eſſe vo- “
lunt, obſtructionéſque parere, val- “
de hallucinantur, Barbari enim qui “
eo utuntur nullis affliguntur obſtru- “
ctionibus, pallidóve colore: aſſe- “
runt è contra facilè digeri, & appeti- “
tum acuere, imo ſe ante Hiſpano- “
rum adventum nephriticos dolores “
ignoraſſe. Tandem nullum præ- “
ſtantius inter eos remedium in acu- “
tis morbis eſt, pectoris amicum, diu- “
reticum, innoxiumque, quàm *Mi-* “
lium Indicum ſive *Panetum*, à Dale- “
champio, Lobelio, Dodonæóque “
deſcribitur, quos conſulere licet. “

OREIEVALA.

O *Rejevala* flos eſt ab Hiſpanis vocatus *Flor de la Oreja*, propter ſimilitudinem ejus cum aure. Folia intus purpurea, extrà viridia habet, odorata, aromatica, calida, ex arbore quadam provenientia, quam *Xuchimacutzli* ſeu *Huchmacutzli* Mexicani nuncupant,

FLOS RESINOSÆ ARBORIS, & SILIQUA TLIXOCHITL.

OBſervat D. *Moreau* in notis ſuis ad *Colmenero* Tractatum, eum aliqua ingredientia omiſiſſe, florem nempe cujuſdam arboris reſiniferæ, & gummi inſtar ſtyracis ferentis: qui quidem flos arantiorum ſimilis, ſuaveolens & ſtomachicus, quem Americani Chocolatæ inſerunt: item ſiliquam *Tlixochitl*, quæ eſt herba repens, plantagini ſimilia habens folia, ſed longiora & craſſiora: Arboribus inſtar hederæ adhærens, eaſque amplectens Siliquas ferens longas ac ferè rotundas, balſamum Hiſpaniæ novæ redolentes, pulpâ nigra & ſeminibus inſtar papaveris plenas, in aqua maceratas potenter diureticas.

Hæ Autorum varietates oſtendunt Chocolatæ ingredientia non eſſe fixa, quæ adduntur, detrahuntur aut immutantur, pro variis conficientium intentionibus. Vulgus Nigrorum & Americanorum, nihil præter *Cacaos*, *Achiotam*, *Chiles & Aniſum* accipiunt. Alii cinnamomum redolere volunt.

Alii

Alii dulcem, alii acrem eſſe cupiunt. Inde fit ut varii coloris, variique ſaporis reperiatur: diverſique pretii & effectus. Chocolata in his regionibus compoſita nimis inſipida Americanis, apud illos verò confecta nobis intolerabilis foret, palatumque noſtrum nimium pungens. Optima tamen, ſi meliorem audiamus Europæorum partem, in urbe Cadix conficitur, præcipuè ſi quis præcautione mihi familiari utatur, ſi numerum nempe & doſim ingredientium quæ optat compoſituro mittat, fidoque committat viro, qui ſi non illius ſit profeſſionis, ſaltem ſub oculis ſuis confici curet. Alioquin Mercatorum, propolarúmque ſubleſtam ſubeas fidem, qui rarò optimam habent. Inde illius urbis cives, qui probam habere cupiunt, domi curant conficiendam.

Cap. II.

Præparatio & mixtio ſimplicium ad Chocolatæ compoſitionem, tum & bibendi modus.

CAcao & alia quæ Chocolatam " componunt, inquit *Colmenero*, "

" contundi & teri debent in mortario,
" aut ſuper lapide lato & polito, quem
" in Indiis Occidentalibus *Metatl*, vel
" *Metate* vocant, huic uſui deſtina-
" tum. Sed antequam terantur probè
" ſiccari & torrefieri ad ignem opus
" eſt, ut faciliùs piſtentur, Achiotâ ex-
" ceptâ: Sed curandum eſt ut conti-
" nuò in torrefactione moveantur, ne
" adurantur, nigreſcant & amareſ-
" cant, quò vis eorum periret. Cin-
" namomum & piper Americanum, ſi
" addere velis, primò teri debent, ſi-
" mulque cum pipere aniſum, & ul-
" timò, ſed ſenſim, *Cacao* per duos
" aut tres dies ejus trituram iterando
" ſuper lapide. Singula autem ſigil-
" latim terenda; dein omnia pulvera-
" ta cum *Cacao* in vaſe cochlearis ope
" miſcenda, parandâque maſſa quæ
" teritur iterum ſuper prædicta lapi-
" dea tabula *Aletata* dictâ, levi ſuppo-
" ſito igne, ubi mixtio probè facta, vi-
" tando nimium calorem ne butyro-
" ſæ partes reſolvantur ac diſſipentur.
" Obſervandum etiam ſimul cum *Ca-
" cao* addendam in trituratione *Achio-
" tam*, ut faciliùs color concilietur.
" Pulveres omnes excepto *Cacao* ſeta-
" ceo

ceo trajiciendi ſunt: Sique Cacao "
cortex eximatur delicatior & gra- "
tior erit confectio. Tritis & incor- "
poratis omnibus, cochleari maſſa il- "
la ferè liquefacta extrahetur, forma- "
bunturque tabellæ pyxidibus in- "
cludendæ, quæ ubi ſimul ac refri- "
gerabuntur indureſcent. Priùs ta- "
men chartæ aut magnis quibuſdam "
arboris foliis, veluti Platani Ameri- "
canæ, affundenda maſſa, & tabellæ "
formandæ atque ad umbram ſiccan- "
dæ, poſtea eximendæ & in pixidi- "
bus ligneis reſervandæ. *a.*

a. *Nos aliquando Chocolatam præparari curavimus, quod facilè conficiebatur trito probe fructu Cacao in mortariô æneô excalfactô; ſic enim per ſe humeſcebat, ſaccharoque excipiendo quàm maximè accommodum fiebat. Saccharum ad lubitum, ut & alia ingredientia admiſcebatur, ſed non ut omittebamus Vanillam, cujus virtutes ut & ſapor ſunt peregregiæ.*

Non minor eſt diverſitas in potu Chocolatæ parando. Mexicani eum parare ſolent cum *Atolla*, quæ eſt Frumenti Indici farina in aqua diluta & cocta, antiquiſſimus eorum potus. Varios Atollæ præparandi modos à *de*

Laëi deſcriptos l. 7. c. 8. hîc recenſere ſuperſedeo, cùm in iſtis regionibus potus ſit ignoratus, flatuoſus ac malè ſanus.

" Sunt alii Chocolatæ bibendæ mo-
" di, inquit Thomas Gage, primò
" enim diſſolvitur in aqua frigida, &
" ligno denticulato agitatur; ſpuma
" elevata in alio reponitur vaſe, reli-
" quum cum ſufficienti quantitate
" ſacchari igni apponitur, & ubi ad-
" huc calidum eſt ſpumæ priùs ſepara-
" tæ affunditur, totumque epotatur.
" Sed vulgatiſſimus parandi modus
" hic eſt. Aqua bulliens infunditur
" crateri quem ebibere cupis ad medie-
" tatem, inde Chocolatæ tabella una
" aut altera diſſolvitur, donec inſpiſ-
" ſata ſatis appareat, mox probè li-
" gno denticulato agitatur & in ſpu-
" mam vertitur, tandem reliqua crate-
" ris medietas aquâ calidâ cum ſac-
" charo repletur, propinatúrque, co
" medendo priùs aliquid conſervæ
" aut maſſepanis Chocolata intincti.
" Alius adhuc eſt modus in Inſula
" præcipuè S. Domingo uſurpatus.
" Chocolata ſimul cum aqua & ſac-
" charo in vaſe coquitur, done un-
" ctuoſa

ctuoſa ſupernatet ſpuma, túncque “
calidè hauritur. “

Americani in feſtis & conviviis re- “
frigerii gratiâ frigidam Chocola- “
tam potant, hócque parant modo: “
Eam aqua frigidâ diluunt, ligno “
agitant, ſpumam eximunt enatan- “
tem, quam in lance reponunt; mox “
ſaccharum aquæ in qua diſſoluta eſt “
Chocolata admiſcent, & ex alto “
ſpumæ affundunt, ſicque frigidè aſ- “
ſumunt. Aſt ita refrigerat hic potus, “
ut eo pauci uti queant; ſtomachi “
enim dolores, præſertim in mulieri- “
bus, aliaque incommoda cauſatur. “

Eſt tandem alius, inquit *Colmene-* “
ro, parandi modus, iis uſitatus qui “
negotiis diſtricti longiori præpara- “
tioni attendere nequeunt: iſque ſa- “
nitati non adverſus. Dum calefit “
aqua, ei deraſa Chocolatæ cum ſac- “
chari ſufficienti quantitate tabella “
admiſcetur, diſſolvitur & ligno agi- “
tatur, nec dum ſeparata ſpumâ pro- “
pinatur. “

Liburni & in aliis Italiæ locis ubi
omnes ferè potiones glacie aut nive
refrigerare ſolent, in ſubſidium ad-
verſus aëris æſtum, ſæpe Chocolatam

glacie refrigeratam bibunt, quæ quidem palato potiùs quàm valetudini conveniens eſt; in eoque differt à Café aut Thé potu, qui frigidè hauſtus nullo modo gratus eſt. Sic tandem in Gallia parare ſolemus. In cucumam ad ignem, totidem aquæ crateres, quot ſunt qui potare cupiunt, immittuntur; & ubi bullire incipit Chocolatæ uncia una & quadrans pro ſingulis crateribus in pulverem detuſa injicitur cum uncia ſacchari: ſubitóque ligno agitatur & ſuper igne, & ab igne exemptâ cucumâ, donec probè ſpumeſcat. Spuma crateri immittitur, & agitatur denuò decoctum donec ferè totum in ſpumam illam abeat, calidiſſimè ſorbetur.

Sunt qui ante ejus hauſtum aquæ frigidæ hauſtum ſumunt, aut biſcoctorum par intingunt in Chocolata & comedunt, ſed iſtud quod magis eſt ſucculentum abſorbet, ita ut melius agant ni fallor, qui ſolitariam ex cucuma extractam Chocolatam epotant. Hęc verò ſi præſtantiſſima non fuerit, doſi augeri debet, ſaccharúmve pro lubitu minui aut augeri. Qui voluptati potiùs quàm ſanitati conſulunt;

guttas aliquot ambari griſei, aut pupillarum ambaro perfuſarum aliquid in cratere ſuperaddunt; quod guſtui gratiſſimum eſt. Sunt & qui ſaccharo Ægyptiacum ſorbetum aut aquæ lac cum vitello ovi ſubſtituunt palati potiùs irritamenta, quàm ſanitatis ſolatia.

Quod ad bonæ Chocolatę electionem, plus in hoc experientię, quàm verbis dandum. Forma paſtillorum nihil huc confert; parantur enim longi, rotundi, quadrati, majoribus aut minoribus fruſtis ne quis putet hîc nodum in ſcirpo quęrere. At non exigui eſt momenti obſervare ne mucidum oleat, néve ſit vetuſtior, quod dignoſcitur ſępe ubi à vermiculis perforata cernitur; Maſticando nihil diſplicens habere debet, quòdque aromaticas ſpecies nimis ſapiat. Hæc ſi potum deguſtare nequeas, obſervanda; verùm id ſi liceat, dignoſcere non erit difficile, præcipuè ſi optimam aliàs ſolitus ſis potare.

Ad crateres verò quibus ad huncce potum utuntur, Americani & Curioſi Europęi, eos uſurpant qui ex nuce Cocos ſunt fabricati; non tantùm

quia

quia forma & magnitudo commodæ, ſed quia margines non ita incaleſcunt ut labia adurere queant, ſicut argentum aut ſtannum. Hi crateres indigenâ Americanorum linguâ *Tecomates* vocantur. Alios quoque parant ex fructu Hiſpanis *Higuero* dicto. Magna eſt arbor cujus folia Mori magnitudine & formâ ſimilia ſunt, fructúſque inſtar citrullos ferens. De palmis Cocciferis nihil dicam, cùm à multis Autoribus jam deſcripta fuerint. Id duntaxat notandum. Cocos duobus regi corticibus; hiſpidô & fibroſô unô funibus parandis aptô; interiori alterô, politô & ſolidô; hiſce crateribus elaborandis aptiſſimô. Vulgaris eſt opinio adverſus apoplexiam valere, quod in Chocolatæ potu eos commendavit. Horum defectû crateribus porcellaniis aut Faentinis uti licet. Formâ ſolidâ Chocolata uſurpari poteſt: Ex ea enim fiunt tragemata ſaccharata, biſcocta, Maſſepanes, aliæque cupediæ, ſi non ſanitati admodum utiles ſaltem æquè ferè ac in liquore pergratæ palato.

Si Chocolata ſanitatis gratiâ duntaxat bibatur, ſufficiat ad duas vices

ſingu-

ſingulis diebus ad ſummum, & potiùs horis matutinis quàm pomeridianis. Biliosi loco aquæ communis cum aqua Endivii præcipuè æſtate ſumere poſſunt, ſicque hepatis intemperiei calidę non erit contemnendum præſidium: obſtructionibus verò & frigidâ hepatis intemperie affectis cum rhabarbari tinctura. Uſque ad menſem Maium extendi poteſt ejus uſus, temperato præſertim aëre. Eum improbat diebus canicularibus, ſæpius laudatus *Colmenero*: niſi iis qui ita huic potui aſſueti ſunt, ut nullam inde noxam "percipere queant. Si inquit, Chocola-"tâ quis opus habeat diebus Caniculari-"bus, ſicque temperamento calido, paret "cum aqua Endivii ſingulis quatuor "diebus, ſi præſertim ſtomachi laboret "debilitate. Quanquam verò in Ame-"ricâ omni tempore aſſumatur, fierique "id in Hiſpania poſſit, reſpondeo dan-"dum primò id conſuetudini, ſecundò il-"lius regionis calori extremo quo cum "excedente humiditate conjuncto pori "aperiuntur, magnaque fit ſubſtantiæ "corporis diſſipatio, ita ut non ſolùm "manè, ſed quâvis horâ & tempeſtate, "tutò queat uſurpari. Quia verò à ca-"loris extremi exceſſu naturalis corpo-

"ris

“ris calor diſſipatur ac exhalat, ſtomachi
“ verò & aliorum viſcerum calor ad cir-
“ cumferentiam corporis fertur, Ventri-
“ culus admodum debilitatur, ita ut non
“ ſolum ex Chocolata quæ, ut diximus,
“ moderatè calefacit, ſed etiam ex vino
“ puro utilitatem experiantur ac ſtoma-
“ chum roborent iſti Americæ incolę. Si
“ verò æſtibus perdurantibus aquam e-
“ potent, non parvam ex ea noxam per-
“ ſentiunt, minuta aut depravata ali-
“ mentorum coctione, aliiſque exinde
“ accerſitis morbis: Notandum etiam
“ terreſtriorem Cacao ſubſtantiam cra-
“ teris fundum petere, ubi ejus potus
“ paratur, aliquôſque exiſtimantes id
“ maximè alimentoſum eſſe, eam ſimul
“ haurire, Quod non ſine præjudicio &
“ noxa fieri poteſt, cùm pars hæc craſſa,
“ terreſtris & obſtruens melancholicum
“ generet ſuccum, aliaque pariat incom-
“ moda. Eamque igitur vitet qui ſani-
“ tatis ſuæ curam voluerit, reliquâ par-
“ te ſucculentâ contentus.

CAP. III.

De qualitatibus ex Chocolatæ ingredientium mixtione reſultantibus.

EXaminavimus in ſuperiori capite ſingulorum Chocolatæ ingredientium qualitates. Sed hoc non ſufficit. Dubium enim eſſe poteſt quænam ex eorum mixtione reſultet ac prædominetur, quò hujuſce compoſitionis uſus ſanitatem nobis proponendus non ignoretur. "Calida quidem eſſe, inquit Colmenero, omnia ferè ejus ingredientia obſervantur, unde totam calidam eſſe quis putabit. Sed animadvertendum Cacao, aliorum omnium quantitatem in ea ſuperare, cujus cùm ſummè frigidus ſit, alia concomitantia ingredientia frigidas terreſtreſque partes duntaxat corrigunt. Sicut igitur duo medicamenta contrariæ qualitatis ſuâ mixtione temperatam compoſitionem efficiunt ita actione & reactione frigidarum Cacao particularum & aliorum calidorum ingredientium, Chocolata temperatam qualitatem à medio parùm diſſitam obtinet. Aſſeri ergo poteſt, ſi

"præ-

"præcipuè piper & Cariophylli exi-
"mantur, merè temperatum eſſe, ut ex-
"perientia & ratione probari poteſt.
"Experientia enim ſupponendo cum
"Galeno omne temperatum medica-
"mentum frigida excalefacere, & calida
"refrigerare, ut aqua tepida frigidam
"calefacit, calidam refrigerat, patet &
"conſtat qua ratione Chocolata, ut fer-
"tur, ſtomachum frigidum calefaciat,
"frigidumque refrigeret. Id in ſe ipſo
expertum eſſe teſtatur idem Autor: ubi
enim ex ægrorum viſitatione excalefa-
ctus redibat, indigenarum perſuaſione
Chocolatæ craterem hauriebat, quo
ſitim temperari, & refrigerari ſe perſen-
tiſcebat. E contra verò ubi manè chyli
reliquiæ crudæ indigeſtæque debilita-
bant & infrigidabant, ab eodem potu
manifeſto ſtomachum roboratum & in-
calefactum ſentiebat. Sic experientià
conſtat ab illius uſu omnis ſexus, ac æ-
tatis temperamentique oppoſiti pluri-
mos bene ſe habere: indicio qualitates
in iis prædominantes non augeri, quod
Hippocrate teſte, morborem eſt ſcaturi-
go. Obſervo etiam hunc potum, neque
caput tentare, neque ſitim provocare,
imò eô ſumptô mihi in ſequenti paſtu
biben-

bibendi minorem fuiſſe neceſſitatem, neque etiam arteriarum pulſum agitare, quæ omnia caloris ſunt effectus, ut cum vino, vini ſpiritu, aliiſque calefacientibus liquoribus, ſi paulò nimia aſſumantur copiâ, accidit. E contrà oppoſitos effectus non producere, veluti ſomnum, ſtomachi debilitatem, pulsûs tarditatem, corporiſve gravitatem, quæ frigiditatis effectus ſunt, ut in oleribus, leguminibus, lacticiniis, & aqua obſervatur. Unde, ut diximus, inferendum hanc compoſitionem temperatam eſſe.

Tandem ut experientiæ ratio in ſubſidium veniat, notandum omnes Cacao partes non eſſe frigidas, ſed non paucas butyroſas, ſulfureas ac inflammabiles. conſequenterque calidas, frigidis vix mediam partem conſtituentibus, unde accidit ut utrarumque & aliorum calidorum ſecundo & tertio gradu ingredientium permixtione, compoſitum conflari in primis qualitatibus temperatum: veluti calida manus frigidâ admiſſa & tractata, temperata utraque evadit, aut athletæ duo viribus omnibus dimicantes, tandem debilitantur & quieſcunt; Omne quippe agens, teſte Ariſtotele, æque

ac

ac patiens patitur, ferrum ſecans ſecando obtunditur, res calefaciens calefaciendo refrigeratur, pellenſque pellendo repellitur. Ita idem hoc in uſu evenit. Inde concludo, ſubdit Colmene-
" ro, melius eſſe, ſi Chololata utamur,
" aliquo poſtquam confecta eſt tempore,
" poſt unum verbi gratia, menſem; quàm
" recenter parata. Videtur enim hoc
" tempus neceſſarium eſſe, ut debiliten-
" tur ingredientium qualitates, ac me-
" diam obtineant temperiem. Sic Gale-
" nus Philonio uti ante ſex menſes vere-
" batur, quòd ex opio, pipere, aliiſve
" oppoſitis concinnabatur. Et quidem
" experti ſunt non pauci Chocolata re-
" centi malè ſe habere & ſtomachum
" laxari, eò quòd Cacao pingues &
" butyroſæ partes à terreſtribus nondum
" victæ & correctæ eſſet. Et ratio ſuadet. Si enim butyroſum ſolum bibatur, etſi jam Chocolata vetuſta ſit, ſtomachum relaxat, non ſecus ac recens adhuc eſſet.

Fatendum ergo eſt Chocolatam non ita frigidam eſſe ac Cacao, nec ita calidam ut alia ingredientia. Sed actione & reactione moderatam ipſi temperiem conciliari, ſtomacho calido & frigido æque commodam: modo medio-

cri

cri quantitate & ætatis menſtruæ ſumatur; inde fit ut omnes ferè qui ea utuntur tum in Indiis Occidentalibus, tum in Hiſpania, quaſi ſibi utilem laudare ſoleant. Male igitur ille Marchenenſis Medicus qui de ea ſcripſit, Chocolatam exiſtimavit obſtructiones parere; obſtructis enim viſceribus corpus tabeſceret, cùm tamen è contra pinguia ſoleat reddere corpora.

Cap. IV.

Quibus affectibus Chocolata conveniat.

QUamplurimi Chocolata utuntur potiùs in conſuetudinem & delicias, quàm morbi curandi aut præcavendi causâ. Iis quidem, ſi bene habent, uti liceat. Sed quia Medicina varia eſculenta & potulenta pro variis affectibus ſeligere ſolet, ita quibus apta eſt Chocolata non eſt ſilendum. Brevior tamen ero, quia cùm hic potus non ita apud nos vigeat, ac præcedentes de quibus tractavimus, pauca nobis ſuppetunt experimenta, quibus ejus vis fulciatur.

Primò

Primò quia hujus compoſitionis præcipua ingredientia ſunt ſtomachica, ut ſupra notavi: ſequitur neceſſariò hanc ipſi ineſſe qualitatem. Ergo qui ſtomachum colica, diarrhæa, flatibus aut ſuper purgatione exhauſtum habet, utilem ſibi hunc potum experietur. Ideo frequentiùs in America quàm in Europa uſurpatur, quòd illic ſtomachi debilitas ſit frequentior.

" Quod ad me attinet, inquit *Thomas*
" *Gage*, per duodecim annos integros
" continuò Chocolata uſus ſum, ſummô
" mane cyathum unum hauriens, alterum
" horâ nonâ aut decimâ, tertium horâ
" unâ aut altera poſt prandium, ultimam
" quartâ aut quintâ pomeridianâ. Sed
" cùm veſpertinis horis ſtudio incumbe-
" re volebam, alium ſeptimâ aut octavâ
" ſumebam quo facilè ſtudium ad horam
" noctis duodecimam prorogabam. Si
" verò prædictis horis caſu aut negligen-
" tiâ propinare omitterem, tunc ſtoma-
" chi debilitate & quaſi cardialgiâ ten-
" tabar. Ita ut hoc pacto per annos illos
" duodecim firma valetudine gauderem,
" obſtructionibus, febri, omnique alio
" affectu immunis, Aliis tamen nolim
" eandem quam mihi normam præſcri-

“bere, nec Medici partes agens, potus
“hujuſce doſim ac tempus præſcribere,
“multò minus temperamenta, morboſ-
“que quibus conveniat definire. Ob-
“ſervavi tantùm ab eo malè habuiſſe
“quoſdam, vel quia ſacchari nimium
“admiſcebant, quod ſtomachum relaxat,
“vel quia nimiâ copiâ propinare ſole-
“bant. At ſanè non ſoli id Chocolatæ
“accidit, ſed aliis omnibus liquoribus,
“qui ſi nimis potentur, quamvis aliàs
“optimi, noxii penitus evadant, Ergo ſi
“ab ejus uſu obſtructiones natæ ſunt, id
“ab ejus aſſumpta copia evenit, ſicuti
“namque cùm vinum plùs nimio pota-
“tur, non amplius roborat & calefacit,
“ſed frigidos morbos generat, naturâ
“illud vincere, aut copiam hanc in pro-
“bum alimentum vertere non valente:
“ita ſi Chocolatæ nimiæ quis indulgeat,
“pingues ac butyroſæ partes quibus ab-
“undat non ritè ubique per corpus di-
“ſtribuuntur, & neceſſariò in capillari-
“bus hepatis venis reſtitant, ubi infar-
“ctus & obſtructiones gignunt.

At ne vanâ curationis ſpe deludantur, ſciendum has ſtomachi debilitates quibus convenit hic potus intelligi quæ ab nanitione procedunt, ſive parum nu-

trientia qualia in America, alimenta ſint, ſive corpus & ſtomachum vacuatio aliqua exhauſerit, ſive aër nimium ſubtilis aſſumpta alimenta juſto citiùs diſſipaverit, ut in regionibus frigidis ac montanis in quibus ſemper viget appetitus, accidere ſolet. Verùm ſi hęc debilitas ortum ducat à chylo corrupto, crudis indigeſtiſque humoribus in ſtomacho repugnantibus, qui quidem non ſolùm appetitum minuendo functionem ejus debilitant, ſed etiam exitum quærentes quâ datâ portâ per diarrhœam & vomitum excluduntur, aut cardialgiam, & vomiturítionem excitant, in hoc, inquam, caſu peſſimum eſt remedium Chocolata: cùm enim glutinoſa & butyroſa ſit hiſce viſcidis humoribus permixta fermenti ſtomachi aculeos magis adhuc obtundit, ejuſque ſymptomata auget. Ægrotum in ſimili ſtatu verſantem audivi, ſe cùm amici cujuſdam ſuaſu binos Chocolatæ crateres hauſiſſet, in pejus iviſſe, donec intra decem aut duodecim dies ſuperveniente bilioſorum & viſcoſorum humorum vomitu, tandem veluti calcem quandã Chocolatam olentem evomuerit, quæ in ventriculi fundo indigeſta totidẽ dies reſtiterat. Eôdem modô ſi colicus

dolor

dolor, ex ſubtilibus, bilioſis, acribus inteſtináque erodentibus humoribus oriatur, Chocolatæ aliquot cyathi, eos temperare & obtundere poterunt. Verùm ſi à pituita vitrea inteſtinorum parietibus agglutinata originem ducat, aliud omnino quàm Chocolata uſurpandum videtur præſidium, Omnes fermè Concionatores ab ejus uſu ſive ante ſive poſt Concionem optime ſe habent. Ante Concionem pectoris & vocis vires diutiùs quàm juſculum ſuſtinet: poſt verò, exhauſtas corporis vires reparat. Convenit & iter facientibus; ideo in Americæ itinerariis familiarem illius uſum à peregrinatoribus adoptatum legimus, manè antequam itineri ſe committant, & veſperi abſoluto diei penſo.

Chocolatam quicunque bibunt, eam multùm nutrimenti corpori ſuppeditare fatentur, ita ut juſculum ex carne nec tamdiu nec tam fortiter nutriat viréſque ſuſtentet. Multi qui ſanitatis gratiâ ad ejus uſum devenere, tribus per integrum diem crateribus fuere contenti, nec inde vires minutæ, Amicus quidam meus vulgaria alimenta ob morbum ferre non valens, Pariſiis Lugdunum rhedâ vectus per undecim dies tres duntaxat cyathos

quotidie hauriebat, ac bene ſe habebat. Hauſtus matutinus facilem reddit prandii expectationem.

Hæc Chocolatæ nutriendi facultas ab omnibus conceſſa *Calderam* Medicum Hiſpanum movit, ut in Tractatu cui titulus *Tribunal Medicomagicum* eam ſtatuerit jejunium frangere: donec Cardinalis Brancacii rationibus convictus ſententiam mutaverit. Is enim diſſertationem hac de re in lucem emiſit cujus mentionem faciunt Ephemerides Gallorum anni *1666.* his verbis, quæ referre hic non piget, cùm forte à multis non fuerint lecta.

Sicut in Europa vini defectu cereviſia utimur, ita in America Chocolatam uſurpant. Potus hic ex quâdam paſtâ confectus eſt, cujus baſis eſt arboris fructus *Cacao* dictus, quorum cinnamomi, piperis & vanillæ fæniculum redolentis parum admiſcetur. Paſtæ hujus uncia ſumitur cum ſacchari ſemuncia ut palato gratior reddatur. Americani hunc depereunt potum, tantâque copiâ in novâ Hiſpaniâ potant, ut ſingulis annis duodecim librarum pondo Milliones ſacchari in eum impendantur. Eoque habeat pretiô, non

tantùm

tantùm quia guſtui pergratus, ſed quia mirâ ad ſanitatem conſervandam pollet facultate. Aiunt enim digeſtionem iuvare, frigidos nimis ſtomachos calefacere, calidiores verò refrigerare, aliiſque quas Hiſpani Medici extollunt viribus donatum eſſe.

Allatâ ex America in Europam Chocolatâ, uſus ipſius in Hiſpaniâ ita invaluit, ut eâ carere extrema putetur miſeria. Et in Italiâ quamplurimi cujuſvis conditionis, imò & Religioſi, quotidie hic indulgere potui aſſueverunt. At jejunantium natus ſcrupulus celebri quæſtioni locum dedit, quæ Caſuiſtas diviſit, utrùm ſcilicet Chocolatæ potus die jejunii Eccleſiæ præceptum non frangat.

Difficultatis nodus in eo verſatur quòd vulgaris poſt D. Thomam Theologorum opinio ſit, cibum duntaxat, non verò potum jejunium rumpere. At Chocolata potus quidem vulgò cenſetur, verùm à quibuſdam inter cibos annumeratur, cùm ſolidum præbeat alimentum, ita ut *Stubbe* Medicus Anglus qui de Chocolata tractatum edidit, expertus ſit plus unctuoſi & nutrientis humoris ex Cacao uncia, quàm

exbovinæ aut vervecinæ carnis integra "
libra elici, Editâ tamen diſſertatione "
aſſerit Cardinalis Brancacius nullô "
pactô Chocolatam jejunium fran- "
gere. "

Ejus præcipua ratio eſt quòd ſit po- "
tus, taliſque audiat in America, ut apud "
nos vinum & Cereviſia: unde conclu- "
dit ſi vini & Cereviſiæ potus jejunium "
non frangant, æque licitum eſſe Cho- "
colatam bibere: præcipuè cum in ſin- "
gulis crateribus unica ſit uncia, quam "
nec pars media Cacao ſubingreditur. "
Ad id verò quod objiciunt multæ eſſe "
alimoniæ, reſpondet idem adverſus vi- "
num dici poſſe, cùm ex Galeno ſint "
quædam vina æque nutrientia ac por- "
cina caro, quæ ſolidiſſimum putabatur "
alimentum, ideoque Athletis exhibe- "
batur; itemque adverſus cereviſiam "
quæ ex frumento & hordeo alimentis "
polytrophis paratur; nec tamen inter "
eſculenta cenſentur, ſed inter potulenta "
quæ juxta communem Theologorum "
ſententiam jejunium non rumpunt. "

Prudenter verò idem Cardinalis mo- "
net, etſi Chocolata, ſicuti nec vinum je- "
junium frangat, id tamen prætextui eſſe "
non debere eâ abutendi & majori copiâ "
bibendi

bibendi. Tunc enim peccatum non eſ- "
ſet contra legem Eccleſiaſticam jeju- "
nium imperantem, ſed contra legem "
naturæ temperantiam jubentis. Et "
quamvis immoderatè fieret, ut Eccleſiæ "
lex violaretur, prava eſſet intentio, "
quamvis per ſe actio crimine foret li- "
bera: & punitio infligi mereretur non "
ob violatam legem, ſed ob violationis "
intentionem. "

Eædem Eruditorum Ephemerides "
hæc habent ſequentibus paginis. Qui- "
dam, inquiunt, id reprehenderunt quod "
diximus Chocolatam ſtomachos frigi- "
diores calefacere & calidiores refrige- "
rare. Sed nemo Medicinæ gnarus id "
mirabitur. Docet enim univerſa poſt "
Galenum ſchola, eandem cauſam in na- "
tura effectus contrarios in variis ſubje- "
ctis ſæpe producere, quod rerum tem- "
peratarum eſt privilegium. Sic manus "
moderatè calida, illi qui nimium calidus "
eſt frigida, ei verò qui frigidus calida "
apparet: & ſicut calidum refrigerat, ita "
frigidum calefacit. Æqualiter enim res "
temperatæ contrariarum qualitatum "
ſunt participes. Unde omne tempera- "
tum caloris ac frigiditatis pares poſſi- "
dens gradus, in calidum frigoris "

gradibus, in frigidum caloris gradibus "
agit. "

Idem in Morali Philoſophia accidit. Sicut enim in medio virtus ſtat, ita utrumque extremum paribus oppugnat viribus. Sic fortitudo quæ timidos in prælio incitat, eadem temerarios retinet. Ne cui ergo mirum videatur ſi Medici Hiſpani Chocolatam temperatam eſſe cenſentes, ipſi contrarios effectus pro varia utentium diſpoſitione affigant.

Cæterum non ſolùm nutrit optimè, ſed etiam impinguat Chocolata. Teſtem non abdicandum profero Thomam Gage, Ait enim ſe audiiſſe à Medicis Americanis, vidiſſeque in permultis, etſi in ſeipſo non expertus ſit, eos qui huic potui indulgent, quadratos & pingues fieri, quod creditu difficile, cùm ingredientia omnia Cacao excepto emaciare potiùs deberent, quia calida & ſicca in tertio gradu, & frigidum & ſiccum in Cacao prædominans nutriendæ & augendæ corporis ſubſtantiæ videatur ineptum. Verùm cum eo reſponderi poteſt, Cacao partes nutrientes eas eſſe propriè quæ butyroſæ ſunt, quibus alia calida ingredientia vehiculi inſtar ſunt, ut ad hepar, viſcera & partes carnoſas

ritè diſtribuantur: ibique in carnem & pinguedinem faceſſant.

Hic tamen effectus non ſecus ac alii, univerſalis non eſt. Eos enim quibus obſtructiones pariet, præpeditâ alimento vâ, potiùs emaciabit defraudato ſcilicet nutritiis ſuccis univerſo corpore. Et ſanè Chocolata non ſolùm in iis qui nimium potant obſtructiones generat, ſed etiam in quibuſvis jam ad obſtructiones diſpoſitis, vaſaque lactea exilia, depreſſa aut infarcta viſcido ac gypſeo humore habentibus, in quibus terreſtres ejus partes reſtitant & obſtructionem augent. Itaque ab ea abſtinere debent juvenculæ chloroſi laborantes, aliique omnes obſtructionibus affecti. Ultimis hiſce annis in hac urbe apertum eſt cadaver cujuſdam viri qui nimium Chocolatæ indulgebat, in quo reperti ſunt in fellis cyſtide viginti ſaltem calculi, quos non immerito hujuſce liberalioris potus ſoboles eſſe putârunt. Nihil hæc ipſi derogant. Moderatum uſum, ut Hiſpanus Doctor *Marradon* Chocolatæ minimè amicus, improbare nolumus. Imo detrimentum quod aliquando affert, probat invictè ejus emolumentum, ubi corpus in ſtatu verſatur oppoſito. Sic quia viſcidis

ac gypſeis exiſtentibus humoribus non convenit, meritò concludendum ubi nimium fluidus & acris eſt ſanguis utilem fore ipſius ſcilicet incraſſatione & temperatione. Proindeque tuſſi importunæ, febri hecticæ, diarrhœæ, ſimilibuſque morbis curandis non imparem. Et hæc dicenda habebam, quæ ſi alicujus ſanitati conferant, ex guo labore ſatis compenſatum eſſe me putavero. *a*

(a) Chocolata ſenibus decrepitis quam maximè proficua eſt. Sic novimus octuagenarium, conſtitutionis naturâ debilioris, qui pro omni alimento per tres integros annos, chocolatâ cum ovi vitellô in aliquot juſculi carnium cochlearibus diſſolutâ, utebatur; eâque, in totali aliorum ciborum averſatione, & vitam, & vires, quas maxima caducitas ſperare permittebat, prorogavit. Sic & hodie alium adhuc ſuperſtitem habemus nonagenarium, qui Chocolatæ uſui firmam ſatis valetudinem, quamvis cum memoria integrâ prope deperditione præcipuè debet. Atque hæc pauca in præſentiarum ſufficiant, ſi tantùm lineas aliquot ex Clariſſ. Raio rurſus addiderimus. Medici, inquit, ad varios morbos Chocolatam accommodant medicamentis copo ſuo convenientibus admixtis, v. g.

ad

ad ventriculum roborandum, crocô; ad fluxus alvi ſiſtendos, cinnamomô, nuce moſchatâ, aut limaturæ chalybis tantillô; ad tuſſim & raucedinem, amygdalis, earumve oleô, ſaccharo, aut ſaccharo cando &c.

D. *Quatremain M.* D. *Hæmorroïdas, ſeu ficos ani, in ſe ipſo curavit, partes affectas butyro nucis Cacao inungendo, ut habet* D. *Stubbes de Nectare Indico p.* 180.

Phthiſicus ferè deploratus robori ſuo & ſanitati reſtitutus erat præter omnem ſpem à quotidiano uſu nucum Cacao, ſeu potiùs Chocolata; ut ſcribit D. Mundy lib. de potulentis.

Chimicam inſuper analyſin nucis Cacao, è le Fevre aliorumque Chymicorum ſcriptis exceptam ad me tranſmiſit eruditiſſimus Vir D. T. R.

Nucleorum Cacao non decorticatorum unciæ octo in pulverem comminutæ & retortæ inditæ, ſubſtantiæ adeò fixæ & difficulter reſolubilis ſe eſſe prodiderunt ut medicâ ignis vi nihil redderent præter album quendam liquorem aquæ inſtar clarum & pellucidum, idque paucâ quantitate quem pro phlegmate habuerunt. Aucto igne ad eum uſque gradum qui ſpiritui vitrioli eliciendo ſufficit, ſeptendecim ho-

rarum ſpatio elevatus eſt ſpiritus vaporum ſpecie lactei candoris, qui præter aliorum ſpirituum morem in phlegmate ſubſidit ad fundum vaſis recipientis. Tandem adhibito igne vehementiſſimo reverberii in vegetabilium deſtillationibus minùs uſitato, aſcendit oleum intenſe rubicundum & velut ſanguineum, verùm pellucidum valdè, quod refrigeratum craſceſcit inſtar olei ſeu butyri ceræ. Deſtillatione peractâ caput mortuum uncias duas & drachmas ſeptem pendere deprehendebatur; ſpiritus uncias duas; oleum uncias tres cum dimidia; reliqua materia in operatione abſumta. Spiritus non admodum fervidus erat penetrãtiſſimus, nec guſtui, nec olfactuis ingratus, quemadmodum eſſe ſolent à ſanguine aut carnibus eliciti, oleũ pariter mirifice pungit & penetrat, ſale volatili cujus magnam quantitatem continet nondum ſeparato, eſtque valde aromaticum & cardiacum. Spiritus brevi aceſcit, quo ſe acetum copioſum continere prodit.

Sed ut, in quantum mihi licet, nihil hîc deſit, ſubjungo Dialogum à Bartholomæo Marradon Marchenenſi Hiſpaniȩ Medico, olim Hiſpanicè Seviliæ editum.

DIA-

DIALOGVS
DE
CHOLOCATA.

Interlocutoribus, Medico, Americano & Cive.

Medicus. EST in Indiis veſtris & in Hiſpania familiaris quidam potus Chocolate dictus, ac ut exiſtimant medicamentoſus, cujus vires nunc diſquirere volupe eſt.

Americanus. Paratur ex fructu cujuſdam arboris in Hiſpania nova, cujus folia Maliarantiæ foliis ſimilia, ſed majora ſunt, Fructus verò cucumeri magno ſtriato ac rufo perſimilis eſt, granis ſive parvis amydalis quas *Cacao* vocant gravidus, quæque pro majori aut minori mole in quatuor diſtinguuntur ſpecies, ſub aliarum arborum umbra plantatur, ne eam ſolis æſtus adurat ac exſiccet. Hi *Cacao* inter omnes merces pluris habentur, eo quòd monetæ loco inſerviant, & compoſitionem celebrem *Chocplatam* ſubingrediatur.

Medicus. Vidi quidem & deguſtavi, ſed ut verum fatear, neque pro moneta, neque pro potu mihi arridet, quocunque elogio extollatur. Celebris nominis Medicum quidem audii, qui magna de ea narrabat tum ob quæſtum quem ex tabellis aut conſerva ex hic enatis compoſitione faciebat, tum ob effectuum ejus experimenta in variis quibus exhibebat ægrotis. Quod ad Cacao ſelectionem nonnihil virides adhuc colligendi, & tamen ſicciores & vetuſtiores pro compoſitione ſeligunt, nihilominus ſapore aſpero, aſtringente & ita ingrato donatos ut multi qui fructum deguſtârunt ab hoc potu abhorreant. Qui illo utuntur refrigerans eſſe aiunt, nec unquam, teſte experientiâ, inebriare. En ergo Cacao qualitates ubi quis impermixtis utitur, deſiccantes nempe & aſtringentes, ac proinde terreſtres ac refrigerantes, ut ſunt omnia ſtyptica, quibus aſpera & acida accenſentur,

Americ. De eorum qualitatibus judicium non feram: ſed cùm in Indiis noſtris ſæpe placentulas Chocolatæ confici viderim, obſervaverimque Cacao nucibus pulveratis ac tritis, ſine pondere & menſura, piper, cinnamomum, cariophyllos, aniſum aliaque ſummè calida addi,

irridere eos ſoleo qui aſſerunt Chocolatam eſſe refrigerantem ac medicamentoſam, ſive aquâ tepidâ dilutam, ſive ſpiſſam inſtar cibi aſſumatur.

Civis. Ji ergo qui huncce potum ægris ſuis præſcribunt certam non habent virium ejus notitiam, cùm nec ingredientia omnia nôrint, nec eorum doſim. Quænam, bone Deus temeritas, cùm Doctores quivis Medici fateantur cum Galeno lib. 1.de ſimpl. Med. facult, cap. 11. Piper tritum ac pulveratum ægris nec ſanis exhibendum, ſed duntaxat integrum; hac enim ratione ſtomachum calefacit, coctionemque juvat, nec tamen ad hepar, aliaque viſcera quibus calorem ſuum inureret penetrare poteſt. Et proterea Eruditiores Medici aquas calidas & aromaticas cinnamomi, aliaſque ſimiles, non uſurpant, niſi priùs ad Balneũm Mariæ fuerint diſtillatæ.

American. At dic mihi, quęſo, utrũ Chocolata æquè malè ſana ſit ac nicotiana.

Medicus. Minimè quidem; ſed Author ille qui generalem Hiſtoriam Plantarum ſcripſit [*Benzo* referente Cluſio Exotic. l. 2. c. 20.] quique hunc potum parari vidit in *Nicaragua*, & aliis Hiſpaniæ novæ locis, ait eum eſſe porcis quàm

hominibus convenientiorem;attamen vini defectu ſeſe huic etiam aſſueviſſe. Unde concludendum vini inopiam in America Chocolatæ inventionem dediſſe;quâ quidem variis modis, varióque ſapore utuntur, quia ingredientium maſſa quæ ſuper lapide *Metate* dicto, à quibuſdam aquâ diluitur,ab aliis verò *Atollâ*,antiquo Americanorum potu, qui ex Indico frumento cocto & loto paratur, non diſſimili ab Amylo quod in Hiſpania ex aquis convenientibus propinatur ægris; Hæc autem Atolla ſola exhibita temperata eſt, ut ex dulci & grato ſapore conjicere eſt, qui ab Amygdalis quarum temperies eſt moderata, non admodum differt. Unde Hiſpaniæ novæ Medici utiliter illam cum ſaccharo ægris ſuis prçſcribunt:modò viſcerum fervore non laborent,quo in caſu juxta Hippocratis & Galeni doctrinam,panatis,ptiſana &hordeatis,ut in Hiſpania fieri aſſolet,utuntur.

At Chocolatæ uſus ita urget in omnibus Occidentalibus Indiis,ut platea nulla ſit,forumvè nullum,ubi non reperias Nigram aut Americanam mulierem cum quo tentorio, ſuo *Apaſtlet* ſeu vaſe huic parandæ, ligno denticulato inſtar fuſi ſuo in Hiſpania filum, contorquetur, & refri-

refrigeratorio quo aërem excipiunt ad ſpumam refrigerandam. Accipiunt primò iſtæ mulieres placentæ Chocolatæ portionem quam aquâ diluunt, ſpumámque ſeparant, quæ optima & præcipua ejus eſt ſubſtantia, immittuntque in crateres *Tecomates* dictos quibus illæ circumdantur, adſtantibuſque Americanis & Hiſpanis diſtribuunt cum Atolla calida, quam in ollis juxta ſe habent, cuíque magnas tribuunt vires, miroſque effectus. Quidam hunc potum tinctum & coloratum volunt *Achiotâ*, quæ nihil aliud eſt quàm pulvis ſive paſtillus ex fructu quodam paratus, quem aiunt in colica præſtantiſſimum eſſe remedium. Sunt enim Americani magni impoſtores, qui plantis ſuis magna nomina imponunt, ut famæ laudem acquirant. Hæc de Chocolata quæ in nundinis & foris vulgatiſſima venditur. Fit enim aliàs & varii coloris quam *Xocoatole* & *Chillatole* nuncupant. [Quæ quidem Chocolatæ fit nuncupatio ex diverſæ Atollæ permixtione, aliáſque multas ejus ſpecies refert du Laët lib. 7. c. 30. *Xocoatole* nomine intelligunt aquam acidam ex frumento Indico in aqua maceratam, & per noctem aëri expoſitam. *Chillatole* ex hac aqua cum *Chilles*, ſive pipere mixta.]

Quod ſpectat ad Chocolatam quæ domi fit, amicis, viciniſque offertur, præcipuè in Monialium ædibus; quæ in tabellis efformatur quas *Pinolen* vocitant, quæque frigidè veſperi bibitur, & ſi iiſdem conſtet ingredientibus, nomine tamen & qualitate differt, majorique habetur pretio. Ecce uſitatam Receptam inter politiores populos, & præciſam ad hanc compoſitionem ſingulorum ingredientium doſim.

℞ Cacaos, 700. ſacchari albi ℔ ß. *cinnamomi*, ℥ ij. *Chilles ſeu piperis Mexicani, Pimiento etiam dicti, grana* XIV. *Caryophyllorum* ℥ß. *Teſacta* (id eſt *vanillæ* ſive *Campéche*) *Siliquas* iij. *vel ejus loco aniſi* ℥ij. *Achiota quantùm ad colorem ei communicandum ſatis erit, quod fortè avellanæ molem æquabit. Aliqui Amygdalas; aut avellanas addunt. Ex his torrefactis & ſuper lapide metate tritis cum ſaccharo paſta fit, quæ pyxidibus includitur, cui addunt nonnulli aquæ naphæ guttas aliquot, vel moſchi aut ambari griſei granum, vel ſcolopendriæ pulverem.*

Quod ad utendi modum ſive in potus, ſive in cibi forma, ſumitur quotidie mane Chocolata cum Macarone aut Biſcocto: ſicuti in Hiſpania ſumere ſolent

Amyg-

Amygdalatum, Avellanatum, Ovum, ſeminum frigidorum potum aut Amyum. Hos autem ex hordeo, farina, ſaccharo compoſitos cremores, excalefactis & emaciatis dari non abſonum eſt. Sed Chocolatam omni tempore, & horâ exhiberi, & cuivis ſexui, ætative propinari, hoc ſanè & reprehendendum & vituperandum eſt.

Americanus. Horum teſtis eſſe poſſum. Quamplures enim vidi ita Chocolatæ aſſuetos, ut ab ea nunquàm abſtinere poſſent. Imò in quodam maris Littore, quò aquæ hauriendæ causâ appulimus. Preſbyterum vidi Miſſam celebrantem, qui cùm eſſet admodum pinguis & fatigatus, neceſſe habuit ſedere ante gratiarum actionem poſt communionem, & Tecomaten Chocolatâ plenum ab ancilla oblatum exhaurire, quô Deô juvante miſſam abſolvere potuit.

Medicus. Excuſari merebatur ob infirmitatem. Sed qui ſani ſunt & extra neceſſitatem, nihil conſuetudini dare debent. Hoc enim præcipuè Religioſos, quorum virtus exemplo nobis eſſe debet, minimè decet.

Civis. Et quidem ego ab eo tempore quo in Americam veni, id obſervavi, &

meiſmet oculis uſurpavi, Chocolatæ cratерem durante officio divino in Eccleſiis adſtantes multos haurire.

Medicus. Bone Deus; quænam erga divinum cultum irreverentia? & quæ civilitas & honos erga alios præſentes. Id certè nequaquam fieri deberet. Cæterùm inter alia incommoda quæ hic potus affert, exiſtimo præcipuam cauſam obſtructionum, pallidi virginum coloris, & hydropis, quorum in Americâ proventus eſt maximus, Chocolatæ & *Cacao* tribui debere: cùm terreſtris & frigidæ ſint naturæ. Domicellæ inſtar Amygdalarum comedunt, ſicque abutentes ſexcentos ſibi accerſunt morbos præcipuè cachexiam, pravumque faciei colorem.

Civis. Probè mihi noti ſunt hi potus, ſed mihi juſculum acceptius eſt. Bonæ fidei eorum qui bene inde ſe habent Chocolatam relinquo. Num enim ſanis æquè placet comeſtus, ac pernæ, aut botuli fruſtum, vel perſicorum, & curtipendulorum paſtam, aliáſve quæ hîc parantur conſervas: num verò epotus æque palato arridet, ac vinum *S. Martini*, *Ciutad*, aut *Paroximenes*, ſeu Patris *Ximenes* Andaluſienſis. Ac ſanè quicunque ſobriè & temperatè vivunt, abſolutè negabunt

poſum

potum hunc ſuſtentando corpori eſſe idoneum, nectarique toties decantato comparandum, quippe qui caput tentet, & alia pariat incommoda, cùm è contra infinitos videamus aquam crudam aut coctam cinnamomi momentô, anisô, aliſve cognitis aromatibus temperatam bibentes diutiſſimè ſanos & vegetos abſque vino vivere.

Medicus. Variis Medicinalibus vinis uti poſſemus à Dioſcoride deſcriptis, aut à Wechero ex aliis authoribus allatis, quibus ingredientibus & eorum doſi cognitis, felicem in morbis ſucceſſum experimur.

Americanus. Coronidem imponam Chocolatæ facultatibus, ubi dixero frequentiorem ejus uſum inopiam Hiſpaniæ novæ cauſari, cùm alias omnes domeſticas ſuperet impenſas, & ſaccharum quod additur ad librarum duodecim milliones & ſemis accedat. Nec omittendum huncce potum mulieribus familiarem vindicandæ zelotipiæ occaſionem dediſſe, veneríſque viros intoxicandi, quæ ab Americanis fæminis artium harum peritiſſimis & à Dæmone edoctis, didicerunt. Ideoque harum frequentationem ſapiens quiſque vitare debet, ob

ſortileg

ſortilegij ſuſpicionem. Scandala ſilebo & homicidia mihi à Jeſuita in urbe Mexico prædicante narrata, ac hujus ope patrata. Unde omiſſis aliis quæ affert incommodis, Chocolatâ abſtinere deberemus, vitandæ familiaritatis & frequentationis cauſâ, cum natione veneficij & pravarum artium adeò ſuſpecta.

FINIS.

2019-B636

W/65

x CZ, —

W)72

[illegible]
Botânica.

COOKSBOOKS
T & M McKIRDY
34 Marine Drive, Rottingdean
Sussex BN2 7HQ England